


NEDL TRANSFER
HN 3U2K 9


SIGILL: COLL: HARVARD: CANTAB: NOV: ANGL: 1650.
CHRISTO ET ECCLESIAE



HUBERT[illegible]ANGUETI, GALLI,

EPISTOLÆ

Sir Philip Sidney

Ad PHILIPPUM SYDNEIUM,

EQUITEM ANGLUM.

David

Accurante D. DALRYMPLE, de HAILES, Eq.


EDINBURGI,

Ex officina A. MURRAY et J. COCHRAN.

Veneunt Londini apud J. MURRAY, Bibliopolam in vico vulg. dict. *Fleetstreet*.

MDCCLXXVI.

1776


HARVARD
UNIVERSITY
LIBRARY
NOV 8 1968

VIRO HONORATO,

SYDNEIO STAFFORD SMYTHE,

EQUITI,

SCACCARII DOMINI REGIS,

APUD WESTMONASTERIUM,

BARONI CAPITALI,

SYDNEIIS ORTO,

HUBERTI LANGUETI EPISTOLAS

AD PHILIPPUM SUUM

D. D. C. Q.

DAVID DALRYMPLE.

VIRORUM ERUDITORUM,

De HUBERTO LANGUETO,

TESTIMONIA.

PHILIPPUS MELANCTHON.

Cum igitur hic Hubertus Languetus, Burgundus, in Italiam rediret, ut bibliothecas inſpiceret, potiſſimum ei literas ad te dedi, quem ſciebam viros bonos, doctos, et moderatos, libenter complecti; nec vero plus ei meum teſtimonium quam ſuam virtutem apud te virum excellentem ſapientiâ prodeſſe volo. Ubi audias, ſtatim intelliges, et Polyhiſtora eſſe, et virum prudentem, modeſtum, pacis et concordiæ publicæ amantem, integrum, ac dignum benevolentiâ bonorum virorum, quare tu eum judicio tueberis et ornabis. Alienus eſt a factionibus, nec circumfert negotia periculoſa paci; ſed hiſtoriarum monumenta in bibliothecis quærit, quâ in re ipſi non defutura eſſe doctorum officia ſpero: tuam vero benevolentiam non ſolùm propter cauſam peregrinationis, ſed propter ipſius prudentiam, integritatem, morum ſuavitatem, et eruditiſſimos ſermones, ſpero erga eum fore eximiam.

Bene et feliciter vale. Calend. Junii, anno 1555.

Epist. i. 63. *Ad Cardinalem Bellaium Episcopum Parisiensem*, *p.* 166.

IDEM.

Ubi cum Langueto collocutus fueris, delectaberis non solum sermonibus ejus, qui sunt pleni prudentiæ, sed etiam modestiâ, quæ in hoc viro, quamquam pene totam Europam vidit et multa cognovit, singularis est. Diliges igitur eum et propter multarum rerum cognitiones, et propter optimos mores.

Epistola ad Johannem Baptistam Henceliu m, Consulem Augustanum.

IDEM.

Sunt sæpe auditi sermones Philippi Melancthonis, prædicentes Huberti probitatem, et studium veritatis, et prudentiam, et explicatam cognitionem atque scientiam earum rerum, quarum periti et sibi laudem, et aliis utilitatem acquirere consueverunt.

Joachimus Camerarius, *de vita Philippi Melancthonis*, *p.* 346.

Johannes Wolfius.

Hubertus Languetus, vir virtute, ingenio, et experientiâ, clariſſimus.

In epiſtola, R. Guagini Annalibus præpoſita, anno 1577.

Joachimus Camerarius.

Neque ego audivi ullum alterum, qui tam prudenter, et certo, et planè, dilucidè diſertè exponeret quicquid narrare inſtituiſſet. Non ille in hominum nominibus falli, non indiciis temporum errare, non confundere rerum negotiorumque ſeriem. Erat autem in eo ſingularis ſagacitas in notandis naturis hominum, et conjiciendo quo quiſque ſuopte ingenio deferretur, et quæ eſſet voluntatis inclinatio. Conſiliorum etiam ſolertiſſimus æſtimator, et eventuum futurorum proviſione admirabilis.

De vita P. Melancthonis, p. 345.

Gaspar Peucerus.

De rebus externis me prolixè docuit Languetus, et quantum recentioribus ſcriptoribus ſingulis tribuendum ſit, accuratè monuit. Judicium hujus viri maxime facio, propter dexteritatem, rectitudinem, et plurimum rerum uſum. Non enim cog-

novi hactenus quenquam, cui cum hiſtoriis veteribus omnibus ac recentibus ipſa regna Europæ ſæculo noſtro notiora ſint.

Præf. ad lib. 5. Chronici Carionis.

PHILIPPUS MORNÆUS PLESSÆUS.

Huberti Langueti, V. C. toto orbe Chriſtiano imprimis noti, obitum doluerunt qui noverant omnes. Ego quem unice venerabar parentis loco, unice deflevi. Ut vero animum recolligere licuit, ſubibat ſubinde mentem illud Eſaiæ, cap. 57. "Juſtus obiit, nec eſt qui animum advertat; "ſublatus eſt pius, nec eſt qui intelligat ereptum eſſe eum malo, ut introducatur in pacem." Languetus hic noſter quis fuerit, pauci noſtrâ ætate rogabunt, quia plerique norunt; at noſſe debent omnes, qui omnium utilitati, ſi quis unquam, conſuluit: debent præſertim poſteri, quorum nemo ſtudioſior vixit. Dicam quod ſentio, et vero quod res eſt. Certavit in hoc viro cum pietate doctrina, cum conſcientia ſcientia, cum natura ars, cum diſciplina rerum uſus: nemini mundus melius cognitus, ex mundi perluſtratione, unum didicerat mundi contemptum; nemini etiam mores hominum magis pervii; in tam multiplici interim cognitione, tantum morum ſimplicitatem nemo non mirabatur. Ne pluribus; is fuit Languetus, quem plerique videri volunt; is vixit, quemadmodum optimi mori cupiunt; et porro,

porro, vitam optime actam, mors optima, placidiſſima; mors in Chriſto beatiſſima, et beatiſſimæ vitæ proxima, laude et gloriâ coronavit. Ego certe, quod mihi unum ſupereſt, hominis memoriam colam, dum vivam.

De veritate Religionis Chriſtianæ, Præf.

Jacobus Augustus Thuanus.

Hubertus Languetus, Vitellii in Æduis natus, vir doctiſſimus, et humaniſſimus, ac rerum Germaniæ, in qua fere totam vitam contrivit, et ubi mihi arcta cum eo amicitia fuit, peritiſſimus, et ſummus Joachimi Camerarii amicus. Cum Auguſto, Saxoni Septemviro, operam ſuam addixiſſet, et præcipui conſiliarii officio apud eum diu defunctus, in ſuſpicionem veniſſet, quaſi epexegeſis de cœna Domini à Gaſpare Peucero, et aliis, juxta Helveticam Confeſſionem diſſeminatæ, conſilio participaſſet, ab ea aula diſceſſit, et ſe ad Arauſionenſem contulit; apud quem dum graviſſimis negotiis explicandis, quibus par illius animus erat, ſedulo incumbit, morbo correptus, anno Domini 1581, climacterico ſuo, prid. Calend. Octobris, Antuerpiæ deceſſit.

Hiſt. lib. 74.

Idem.

Argentinâ Badam ventum, ubi Thuanus, Languetum vacuum nactus, ita mordicus per triduum

ei

ei adhæsit, ut ab eo divelli non posse putaretur; ita candor hominis illum ceperat, insigni probitate, judicio non solum in literis, sed in publicis negotiis, quæ totâ vitâ sub variis principibus magnâ fide gesserat, præditi; ad hæc, rerum Germanicarum callentissimi, ut Germanos ipsos res patrias suas doceret.

Thuanus de vita sua, lib. 2.

GERARDUS VOSSIUS.

Vir multiplici eruditione ac præclarâ rerum cognitione et experientiâ præstantissimus. Extant epistolæ ejus, —— quæ jam prodiere in vulgus, nihil minus quam vulgari elegantiâ exaratæ.

Commentar. de rebus gestis D. Fabiani à Dohna.

JOHANNES BODINUS.

Languetus Gallus, literis æquè ac totius Europæ peregrinatione nobilis.

Method. Histor. c. 5. p. 83.

LUDOVICUS CAMERARIUS Joach. F. Joach. N.

Languetus ingenui pectoris et erga liberalia ingenia intrinseci affectus imprimis effudit in Philippum Sydnæum Anglum, tandem Ulissingensem Gubernatorem; ad quem complures epistolas scripsit, tantâ doctrinæ copiâ, et tot honestæ insti-

tutionis præceptis refertas, ut vix putem in eo genere aliquid extare ſimile. Scribit Cicero, ſe Cyropædiam et contriviſſe legendo, et Scipionem Africanum nunquam depoſuiſſe de manibus, non ad hiſtoriæ fidem, ſed ad effigiem juſti imperii compoſitam. Ego hanc pædiam, quâ Languetus Sydnæum, tam piè, eruditè, et paterno prorſus affectu, ad virtutis et honoris gradus inſtruxit, fere auſim comparare cum Pythagoræ aut Socratis ſinceritate et ſolicitudine, quâ diſcipulos ſuos ad veram philoſophiam et beatam vitam, ut illi putabant, duxerunt.

In epiſt. dedicat. Baroni à Dohna inſcripta, et epiſtolis Langueti ad J. et J. Camerarios, præpoſita, anno 1646.

GISBERTUS VOETIUS.

Qui ingenium, intentionem, ſtudia, et conatus Langueti penitus perſpectos velit, is legat Epiſtolos ad Sydnæum, &c.

Diſput. Theolog. p. 4. *p.* 244.

CLAUDIUS SARRAVIUS.

Habeo præ manibus puſillum volumen Epiſtolarum Huberti Langueti, popularis tui; quod quanti faciam dicere vix, ac ne vix quidem, poſſim: nemo ita familiariter, ita purè ſcribit.—Editus eſt libellus iſte Francofurti, in officina Gulielmi Fitzeri Angli, anno 1633.

Epiſtolæ ad Salmaſium, p. 71.

HUBERTI LANGUETI

EPISTOLÆ

AD

PHILIPPUM SYDNÆUM.

I.

HABEO tibi gratiam, quod literas ad me Posonio dederis, testes tuæ erga me benevolentiæ, et gaudeo meas commendationes tantum ponderis apud Doct. Purkircherum habuisse, ut tibi ea humanitatis officia præstiterit, quæ tuæ virtuti, ac morum suavitati, debentur. Ego eo nomine hic ipsi egi gratias, ac testatus sum me plus ipsi debere, quam si illam ipsam humanitatem mihi exhibuisset. Sed habeo quod de te conquerar: nam non credebam te de me tam male sentire, ut non audeas mihi tua consilia concredere. Metuebas forte ne tibi in itinere strucrem insidias. Discedens hinc, dixisti te non ultra triduum abfuturum. Jam vero, instar aviculæ, quæ caveæ clatras perrupit, exultas, ac hinc inde vagaris, immemor fortassis amicorum, nec satis præcavens periculis quæ in ejusmodi itineribus sæpenumero occurrere solent. Laudo quidem generosum illud tuum studium videndi multorum hominum mores et urbes, (ut loquitur poeta); nam eâ maxime ratione formatur judicium,

et redduntur affectus nostri sedatiores: sed doleo te non habere cum quo in itinere de variis rebus sermones miscere possis, et qui te mores ac instituta hominum ad quos venis doceat, ad doctos viros deducat, et interpretis officio, ubi est opus, fungatur. Ejusmodi itineris comitem tibi forte procuravissem, si me tui instituti conscium esse voluisses. Hæc ideo scribo, quia de te sum solicitus: ob generosæ istius tuæ indolis pulcherrimos flores, qui (ut spero) suavissimos variarum virtutum fructus olim proferent. Doct. Purkirchero venturo ad te Neapolim (non quidem illam Syrenum cantu nobilitatam) dedi has literas, ut tibi præberem occasionem meditandi in itinere, qua ratione amicorum accusationes diluere possis. Conisbæus tuus jam transvolavit Alpes: nam ante octiduum discessit à nobis. Bene vale, et ad nos redi.

Viennæ, 22. Sept. 1573.

II.

QUantâ curâ et solicitudine, immo quanto metu, me liberasses, si semel atque iterum ex itinere ad me scripsisses. Non requirebam operosas literas, sed quæ tantum continerent, "Hoc die huc incolumes pervenimus," vel aliquid simile. Meministi quam obnixè id à te discedente petierim. At inquies, parum tua refert id te scire. Ubi pervenero Patavium vel Venetias, tum demum ad te scribam. Potuisses et illud alterum præstare; et si id fecisses, magno me beneficio à te affectum esse judicassem. Malo tamen credere te in neminem incidisse cui literas ad nos perferendas traderes, quam vel te parum curasse quid promiseris, vel jam remissiorem esse factum tuum erga me amorem, quem vehementem fuisse quum à nobis dis-

cederes,

cederes, testatæ sunt illæ tuæ lachrymæ, quæ vix permiserunt ut mihi valediceres. Hoc facilè condonabo, et quicquid postea adversus me committes, modo caveas ne cupiditas multa discendi et explorandi te in aliquod periculum præcipitet. Meministi quam sæpe, et quam sanctè mihi promiseris, te fore in ea re cautum. Id si non feceris, accusabo te, quod non constanter observaveris ea de quibus inter nos convenerat, nec poteris inficiari te contra jus amicitiæ nostræ in ea re fecisse. Parum quidem esset me offendere, at cogita quam graviter peccares in præstantissimum tuum parentem, qui spes omnes suas in te conjecit, qui quum adhuc sit florente ætate, sperat se visurum maturos fructus variarum virtutum, quarum se fore feracissimam tua indoles omnibus promittit. Fremit jam Sathan, quia suum regnum labefactari videt, quum nec in Gallia, nec in Belgio res ei ex animi sententia succedant: quare non est dubium, quin ministros suos ad sævitiam sit excitaturus; nam hactenus existimavit se eâ solâ ratione posse suum imperium tueri et defendere: quare non dubito, si te istorum fidei commiseris, quin id cum majore tuo periculo facturus sis, quam superioribus annis fortè fecisses. Ignosce meo erga te amori, qui cogit me hoc tibi sæpius in mentem reducere. Sed hæc seria omittamus. Mitto ad te epistolam Petri Bizarri Perusini, ut in admirandam ejus eloquentiam perpetuo intuearis, et eam tibi imitandam proponas. Jam intelliges quam imprudenter feceritis, quod tantas virtutes non estis satis admirati, nec eo honore quo decuit prosecuti. Invidistis vobis immortalitatem, cui vos hic suâ eloquentiâ consecrasset, si vestrâ fortunâ uti scivissetis, et occasione quæ vobis offerebatur, bene merendi de tanto viro. Quanto rectius nos Saxones, qui unâ horâ plus sapuimus quam vos totis quindecim annis? statim enim intelleximus quibus artibus comparari pos-

ſit ejus benevolentia, et occaſionem arripuimus. Profer mihi aliquem tuum popularem de quo tam magnificè ſentiat, quam de eo ſentit ad quem ſcriptæ ſunt literæ, cui eas ſurripui, ut te iis bearem ac exhilararem. Vide igitur ut ita utaris ne crabrones irrites, et nobis turbas excites. Tibi tamen licebit flores aliquos decerpere, quibus ornes tuas literas, ſi quando ſcribes ad authorem, quem judico maximè dignum qui ſuis coloribus depingatur. Miſi tuas literas ad Mag. Dominum Suendium, et petii ab eo ut reſcriberet, quod ſpero eum facturum. Bene vale, et tuos meo nomine ſaluta.

Viennæ, 19. Novemb. 1573.

III.

MIror quas cauſas poteris adferre pertinacis tui ſilentii, ſi de te conqueſtus fuero, ac te negligentiæ accuſavero: nam adhuc nefas eſſe puto, vel quidem ſuſpicari te tam cito mutaſſe animum, et alieniorem à me eſſe factum, cum non ſim mihi conſcius me ejus rei cauſam aliquam tibi præbuiſſe. Cum præterierit menſis à tuo diſceſſu, nec dum quicquam literarum ad nos dederis, non poſſumus non eſſe tuâ causâ ſoliciti, et metuere ne quid adverſi tibi acciderit. At hoc eſt inter leges amicitiæ, ut amicos noſtrâ causâ ſolicitos, quantum in nobis eſt curâ et ſolicitudine liberemus. Si ſcirem te eo perveniſſe quo contendebas, eſſem animo quietiore et tranquilliore : nunc vero mihi perpetuo obverſantur frigora, pluviæ, montes, flumina, ipſæ denique Alpes, et quicquid tibi in itinere moleſtiam aut periculum adferre potuit. Cum jam te meâ operâ juvare non poſſim, idque unicum mihi ſuperſit ut tibi bene precer, id ſane facio ex animo, et tuam incolumitatem

mitatem ardentioribus votis commendo Deo quam meam. Sed vide ut et tuam et meam existimationem tuearis apud eos qui te hic noverunt et amant: cum enim, confisus tuis promissis, ipsis dixerim, te quæcunque tibi in itinere accident ad nos scripturum, et etiam quicquid de tuis rebus constitues ubi in Italiam perveneris, et videant te nihil eorum facere, rident meam simplicitatem, eo quod crediderim me tanti à te fieri, ut ejusmodi molestias mei causâ suscipere velis. Non tamen possunt hæc convellere vel labefactare meum judicium de tua constantia, etiamsi non ignorem eam esse ingenii et conditionis meæ tenuitatem, ut nihil sit in me quod ad mei amorem te invitare potuerit, nisi forte id unicum, quod sciveris me admirari et suspicere illam summam spem quam apud omnes qui te norunt de tua virtute concitas. Sed facessant suspiciones quas omnes delere poterit vel unica lineola ex iis literis quas adhuc spero te ad nos daturum. Interea libet credere te adhuc esse nostri memorem, ac scire me hic propenso fuisse erga te animo, et cupidum tibi gratificandi, et inserviendi. Ubi certo scivero quonam perveneris, et ubi decreveris consistere, quædam interdum de rebus publicis meis literis aspergam, quamvis, tibi versanti in illa luce urbis Venetæ, nihil possit esse ignotum eorum quæ ubique terrarum geruntur. Volui te de quibusdam monere antequam à nobis discederes, sed quia tam certo affirmabas te ad nos reversurum, judicavi satius esse ea in tuum reditum differre: ubi vero scivero te mutasse sententiam, scribam ea si nanciscar aliquem, cui meas literas tuto committere possim. Bene et feliciter vale, et fac ut aliis possim persuadere te adhuc esse nostri memorem; nam quantum ad me attinet, ego de ea re nequaquam dubito. Saluta amicos.

Viennæ, 27. die Novemb. 1573.

IV.

IV.

TErnas antea literas ad te dedi, quæ, si sunt tibi redditæ, ex iis potuisti deprehendere, quam anxius tui causâ fuerim, et quam impatienter tulerim, quod de tua valetudine et successu in itinere nihil scriberes. Non potui me cohibere, quin te accusarem liberius forte quam decuisset me facere: sed quia intelliges me variis affectibus æstuantem, et tui causâ perturbatum in eas accusationes prorupisse, spero te facile condonaturum quicquid à me in ea re est peccatum. Hoc enim tibi persuadeas, eo progressum esse meum erga te amorem, ut non solum te diligam, sed etiam tui causâ omnes qui tibi necessitudine aliquâ sunt conjuncti; et quamvis antea mihi fuerit chara tua patria, in qua aliquandiu suaviter vixi, et multorum benevolentiam erga me sum expertus, meus tamen erga ipsam amor tale jam incrementum cepit, ut, si quid feliciter ipsi contigisse audiam, non minus afficiar ac gaudeam, quam si id patriæ meæ contigisset. Sed quid me tam anxie excuso, cum adhuc acriores literas meditarer, quum mihi sunt redditæ eæ quas sub tuum adventum in urbem Venetam ad me dedisti, quæ illam animi nubem dicusserunt, ac me plane bearunt, cum ex iis intellexerim te incolumem ac mei memorem eo pervenisse quo contendebas. Mihi etiam perplacuit, quod promittis te nullam ad me scribendi occasionem prætermissurum. Sed vide ut præstes id quod promittis. Gaudeo te expertum vera esse quæ tibi de Comitis Hanaviensis, et eorum qui apud ipsum vivunt, humanitate prædixeram. Volui meis literis tantum tibi præbere occasionem conveniendi eos quos judicavi virtutem in quolibet homine amare et admirari, non dubitans

tans quin tuis moribus eos tibi facile conciliare posses: nec quocunque pervenies deerunt boni viri qui te benevolentiâ complectantur, si modo à te ipso non descis-cas, nec in alium hominem transformeris. In prioribus meis literis scripsi, decimum septimum diem Januarii dictum esse regis Polonici inaugurationi, ad quam fiunt ingentes apparatus Cracoviæ. Jam do operam ut tibi amicos ibi conciliem, ut, si forte animum nondum mutasti, quando eo venies, non desint qui humanitatis officia virtute tuâ digna tibi exhibeant. Existimamus Poloniæ Regem ad fines Imperii jam pervenisse, sed tamen id nondum possumus certo affirmare. Misit huc legatum, qui Imperatorem ac Regem Hungariæ ad inaugurationis celebritatem invitaret. Peto à te ne quid apud me dissimules, et si quid aliud de tuis rebus constituisti quam hic constitueras, ut id mihi significes. Non expeto ut quicquam in mei gratiam facias quod tibi non fore jucundum aut utile existimes: nec volo te ullâ mihi factâ promissione esse obstrictum, præterquam eâ qua pactus es te habiturum diligentem curam tuæ salutis et incolumitatis, nec obsecuturum tuæ cupiditati, aut eorum sermonibus qui elevabunt pericula in quæ te conjiceres, si venires ad ea loca de quibus sæpe sumus collocuti. In hac unica re summo jure tecum agam, et nisi id quod promisisti præstiteris, conquerar de te apud communes nostros amicos, apud quos tibi grave esset tuæ existimationis jacturam aliquam facere. In aliis rebus de meo jure cedam quantum voles, et ero erga te indulgentissimus. Ego per hyemem nequaquam hic mansissem, nisi spes videndi te, aut saltem per literas ex propinquo colloquendi, me detinuisset. Ago maximas gratias Dn. Conisbæo, quod mihi vestrorum hominum benevolentiam conciliet, prædicando mea erga ipsum officia, quæ nulla extiterunt. Vellem me in ejus gratiam aliquid facere

posse

posse dignum istâ humanitate. Saluta eum, obsecro, meo nomine, ac etiam Dn. Bruschettum, cui me eo nomine plurimum debere existimo, quod te istuc incolumem perduxerit. De pecunia, quæ vestro hospiti bis est numerata, consulo ut ita agatis. Scribat Dn. Conisbæus literas ad vestrum hospitem, in quibus totam rem ut est gesta explicet, et eas curet converti in linguam Germanicam. Si aliquid habet frontis, id rependet quod à vobis iniquè exegit. Ego quia hanc rem non intelligo, quam nec in literis tuis satis explicas, luderem operam si de ea cum ipso agerem: expectabo itaque vestras literas. Peto à te ne ineptas literas quas ad te soleo scribere, cuiquam ostendas. Scribo absque delectu quicquid mihi suggerit animus variis modis affectus, et mihi satis est si id apud te consequar, ut credas nihil esse mihi charius te. Rogo ut mihi perscribas judicium tuum de iis ad quos tibi literas dedi. Bene vale.

Viennæ, 4. die Decemb. 1573.

V.

IN prioribus tuis literis scripsisti te nullam ad me scribendi occasionem prætermissurum. Id si feceris, præstabis mihi officium longe gratissimum; nam ex nulla re jam majorem voluptatem capio quam ex tuis literis. At in alteris tuis literis accusas meum de te judicium, et miraris me dubitare de tua constantia in observandis promissis. Quæ promittuntur amicis eo modo quo promisisti te ad nos reversurum, possunt salvo jure amicitiæ non præstari, si quæ causa interveniat ob quam non sit commodum ea præstare. Itaque si mutares consilium, non propterea esses accusandus inconstantiæ. Ideo autem scripsi me existimare te mutaturum

taturum ſententiam, quia rex citius inaugurabitur quam credideram, et hybernæ tempeſtates te forte deterrebunt. Peto autem ne indulgeas ſuſpicionibus, et ne credas, ſpem et opinionem quam de tua virtute concepi poſſe labefactari: nam ita altè radices egit in animo meo, ut concuti non poſſit, nedum inde evelli. Si quid non ſatis caute ſcripſi, rogo ut id aſcribas animi mei perturbationi, quæ ſane fuit maxima antequam ſcirem te iſtuc incolumem perveniſſe. Scripſi in alteris meis literis Imperatorem et Regem Hungariæ invitari ad inaugurationem Poloni, et hic eſſe juvenem Polonum eam ob cauſam miſſum: quem cum audirem valere ingenio, dedi operam ut ipſi innoteſcerem. Innotui facile, ac etiam factus ſum familiaris, et (ut ſpero) amicitiam cum ipſo contraxi. Quod quidem eo cupidius feci, quia et ingenii elegantiâ, et morum ſuavitate, ac etiam dignitate formæ, tibi non abſimilis videretur; nec eſt multis annis te major. Dedit operam literis in Italia, et præcipue delectatur hiſtoriarum lectione, et præſertim earum quæ res vicinas noſtris temporibus referunt. Splendidâ familiâ ortum eſſe indicant cultus corporis, et numerus miniſtrorum. Quorſum hæc? Dicam. Feci apud ipſum tui mentionem, tuos mores et tuos natales ipſi deſcripſi, et dixi me adhuc ſperare te ad inaugurationem regis venturum Cracoviam, et petii ab eo ne in te gravaretur ea officia conferre quæ tuæ virtuti debentur. Statim exarſit tui amore, et dixit mihi, Si potueris ei perſuadere ut ad me divertat, dabo operam ut nec ipſum nec te ejus rei pœniteat. Vides paratum tibi eſſe hoſpitium, et offerri occaſionem innoteſcendi multis præſtantibus viris, et (ut ſpero) contrahendi amicitiam cum aliquibus. Conjicio ex tuis literis, Venetæ urbis ornamenta non reſpondiſſe tuæ expectationi. Nihil tamen habet Italia cum iis conferendum: quare ſi ea faſtidis, reli-

qua tibi fordebunt. Sed miraberis hominum ingenia et prudentiam: funt fane homines acuti et ingeniofi, fed tamen funt inter ipfos plurimi qui plus habeant in fronte quam in receffu, et plerumque nimiâ oftentatione fuam fapientiam corrumpunt, ac fiunt putidi. Etiamfi noftri Germani fint ingenio minus verfatili, gravitate judicii forte non multum ipfis cedunt. Verum cum tot annos abfuerim ab Italia, non eft meum ferre de iis rebus judicium, fed tuum audiam ubi ad nos redieris. Quæ de rebus publicis habebo, deinceps tibi fignificabo, ut interdum habeas materiam fcribendi ad illuftrem tuum parentem, et colloquendi cum amicis: fed vide ne cuiquam meas literas oftendas. Aiunt Mofchum irrumpere in Lithuaniam cum fexaginta millibus armatorum, jamque effe ad oppidum Polotzko, quod ante undecim annos Lithuanis eripuit. Mifit et alias copias in Livoniam, fed iis nequaquam numero pares. Non deerit novo regi materia ad exercendam fuam virtutem, quamvis fane Mofchus inique agat: nam ante paucos menfes funt factæ unius anni induciæ inter ipfum et Polonos: fed qua conftantiâ obfervet pacta, veftri negotiatores funt fæpius experti. Imp. fperat fe impetraturum à Turcis induciarum prorogationem, immo funt qui dicant ipfum jam impetraffe. Nondum de rebus omnibus tranfactum eft inter Turcas et Venetos. Sunt qui fcribunt, Turcas velle Venetis quædam oppida extorquere. Certum eft inter ipfos adhuc de regendis finibus difceptari, et Turcas agere infolenter. Hifpanus videtur facere quiddam indignum fuâ majeftate, et quod minime refpondet illis magnis fpebus quas concepiffe vifus eft de occupanda Conftantinopoli: quo jam mifit legatum qui pacem aut inducias à Turcico Imp. petat, à Baffis vero pecuniâ redimat. Sed hanc rem difficiliorem reddet fucceffus Joannis ab Auftria in Africa, alias Turcarum

rum læderetur exiſtimatio. Hic videmur deinceps velle minus aſſentari Pont. Rom. quam antea; Ordines Auſtriaci jam hic conveherunt; qui inter ipſos puriorem religionem profitentur, petituri ſunt ab Imp. ut ipſis templum in hac urbe concedat ad ſua ſacra peragenda, et ſperant ſe id ab eo impetraturos. Aiunt etiam eum conſtituiſſe pellere hinc omnes monachos Italos. Relinquentur igitur vacua monaſteria: nam ne unum quidem monachum Germanum in hac urbe eſſe dicunt: Jeſuitæ enim putant ſe gravi injuriâ affici ſi tali nomine compellantur. Poloniæ rex tandem à ſuis eſt avulſus, et, ut exiſtimo, ante quinque aut ſex dies trajecit Rhenum: diſceſſit enim Nanceio 24. die ſuperioris menſis. Noſtra miſera Gallia ruit alto à culmine; vos vero eſtis noſtræ inſaniæ otioſi ſpectatores, et ex noſtra ac Belgarum, vel potius Hiſpanorum, ſtultitia facitis queſtum. Albanus non valde triumphans tandem deſerit Belgium. Credo quod nihil pejus eum habet quam quod aliqui ſuperſint ejus ſævitiæ. Succeſſor ejus ſimulat magnam animi moderationem. Edidit jam pulchrum ſpecimen ſuæ ſapientiæ: nam inſcripſit ſignis militaribus, "Debellare ſuperbos." Parturient montes: texuit ſua retia craſſiore filo, et propterea paucas aves iis involvet. Promittit impunitatem iis qui ſe ipſi crucifigendos tradent. Orangii res non ſunt malo loco; nam tanti faciunt eum Hollandi et Zelandi, ut ſuam ſalutem in ejus incolumitate conſiſtere credant, et propterea non permittunt ut ſe bellicis periculis objiciat: ſed volunt ut præſit ipſorum conſiliis, et quæ ſunt agenda aliis mandet. Si animo meo indulgere vellem, nullum ad te ſcribendi finem facerem. Iterum peto ne cuiquam oſtendas meas literas, in quas temere conjicio quicquid mihi in mentem venit, ita ut ſint in iis pauca quæ inter ſe cohæreant, et forte eadem ſæpe repeto: nam non memini eorum quæ antea

ad te ſcripſi. Bene vale, et amicos ſaluta, et præſertim Illuſtrem Dn. Comitem Hanavienſem ſi ad ipſum es reverſus.

Viennæ, die Brumæ 1573.

VI.

DEdiſti primo ad me Venetiis literas humaniſſime ſcriptas. In alteris vero quibus ad meas priores reſpondebas, conquerebaris me tuæ conſtantiæ diffidere. Jam vero nihil prorſus ſcripſiſti; ita ut videaris meam in ſcribendo libertatem velle ulciſci ſilentio. Forte ea quæ ad te ſcribo non eo modo accipis quo à me ſcribuntur. Scripſi me metuere, ne ſplendore ac elegantiâ rerum Italicarum captus, ac aliis regionum illarum illecebris, Germaniam et Sarmatiam faſtidias. Conjicis ex iis verbis me de te aliter ſentire quam debuerim, nec ſatis fidere tuæ conſtantiæ, cum tamen nihil minus cogitaverim, nec aliud quam tecum jocari voluerim, ut ſolet fieri inter amicos. Scribis me non debere dubitare quin ad conventum Polonicum ſis venturus, cum id mihi promiſeris. Ego vero nec urgeo promiſſum, nec conſulo ut venias: nam tibi eſſet incommodum denuo tranſgredi Alpes. Diſſuaſi quidem tibi iter Italicum; cum viderem appetere hyemem, ante ejus finem ſciebam inaugurandum Regem Polonicum, quoniam cupiebam te eſſe illius inaugurationis ſpectatorem: nam multa ibi vidiſſes quæ tibi non fuiſſent injucunda cognitu, nec credo te ſuſcepti laboris pœnituiſſet. Si quis cupidus multa diſcendi, ex me quæreret, quænam ipſi præcipue inveſtiganda cenſerem, reſponderem, ea quæ non ſperat ſe facile ab aliis diſcere poſſe. Pauci autem (imo fere nulli) ex veſtris hominibus ita norunt res Polonicas ut

te

te recte de iis edocere possint, si quando cupias eas intelligere. Hujus regis electio eas apud vos celebriores reddet, aut saltem efficiet ut plures de iis inquirant: quare forte olim te male habebit, quod tibi majorem earum peritiam non comparaveris. Nequaquam etiam pœnituisset te vidisse splendorem aulæ Polonicæ, qui certe est magnus, et in moribus illius gentis quædam non improbasses, et forte plus humanitatis ibi fuisses expertus quam hic fueris. Pulchrum et dulce est scire ea quæ alii ignorant, et jam video navigationes vestrorum hominum, per mare glaciale, aperuisse vobis multa de Moschis et Tartaris, ac etiam de Persis, quorum antea eratis prorsus ignari: quæ qui valent inter vos ingenio, solent exteris hominibus narrare, cum magna sua et audientium voluptate, ac etiam vestræ gentis gloria. Pervagatus sum plerasque orbis Christiani provincias, sed nullius itineris mihi est jucundior recordatio, quam illius quod ad extremum Septentrionem suscepi: multa nam ibi vidi quæ nemo in nostris regionibus docere me potuisset; nec etiam credidissem si ex alio audivissem. Quamvis hic nihil esset mihi dulcius tuâ consuetudine, nunquam tamen consului ut hic maneres, sed hortabar te ut in Misniam et Saxoniam proficiscereris, et Regis Polonici adventum ibi expectares, ac earum regionum mores et consuetudines interea observares, et cum bonis viris amicitiam contraheres. Vides igitur me non spectasse mea commoda cum iter Italicum tibi dissuaderem. Conquestus sum aliquoties te nihil de tua valetudine ex itinere scripsisse: at hoc debes ascribere meo erga te amori, et solicitudini de te: nec sane me ejus rei pœnitet; imo iterum conqueror, quod jam ad me nihil scripseris, cum tamen promiseris te non passurum ut quisquam tabellarius istinc ad nos veniat tuis ad me literis vacuus. Petii ne temere ea Italiæ loca adires, in quibus non esses

esses futurus extra periculum, idque sæpius repetii, et omnium maxime exaggeravi. Quis est autem cui non sit gratum amici officium, qui ejus causâ sit solicitus et metuat, etiamsi non subsit justa causa ejusmodi metus et solicitudinis? Sed vide ne denuo mihi succenseas, ob hanc meam libertatem, quam mihi extorquet summus meus erga te amor, et crede me quidem suspicere et magnifacere natalium tuorum splendorem, et reliqua bona quæ natura et fortuna in te benigne et liberaliter contulerunt; sed tamen in amicitia respicere tantum ad excellens illud tuum ingenium, studium virtutis, et insignem probitatem, quæ in te elucent. Quod si nanciscerer pauperculum adolescentem qui te moribus et ingenio referret, ego profecto eum in filium adoptarem, et mearum rerum hæredem relinquerem, nec mea referre putarem ex qua gente esset natus. Nostræ autem hujus amicitiæ uberem fructum me percepisse judicabo, si antequam moriar audivero te auctum dignitate et authoritate, florere in patria, ac præmia tuâ virtute digna esse consequutum. Bene vale,

Viennæ, 18. die Decemb. 1573.

VII.

NOnnihil commoverunt me literæ quas ad me secundas dedisti, cum videreris offensus meis accusationibus, ex quibus potius conjicere debuisti quanto te amore prosequar, et quam sim de tua salute solicitus. Sed id magis perturbavit me, quod alterâ septimanâ nihil à te literarum accepi: jam primum enim mihi redduntur eæ quæ quinto die hujus mensis à te sunt scriptæ; nam verebar ne silentio ulcisci velles injuriam qua te affectum putabas; qua pœnâ vix mihi graviorem infligere potuisses. Mi dulcissime fili, (jam enim

enim libet te eo nomine compellare), nullas hactenus opes magnopere expetivi, nec dedi operam ut adipiscerer, præter amicitiam eorum in quibus studium et amorem virtutis vigere animadverti: nec mihi defuit in ea re successus; nam contraxi amicitiam cum non paucis, ex qua fructus mihi gratissimos percipio: verum tui amor longe altius quam cujusque antea in animum meum penetravit, quem totum ita occupavit, ut solus in eo dominari, et quasi tyrannidem exercere, conetur. Ne mireris ergo me commoveri, si vel minima mihi occasio detur suspicandi te aliquid de tua erga me benevolentia remisisse. Si tu nactus esses gemmam tanti pretii, ut in ea maximam partem fortunarum tuarum consistere crederes, an non merito metueres ne quis tibi eam interverteret? Pergratum est mihi quod denuo promittas te nullam scribendi occasionem prætermissurum, et quod prædices tuam in scribendo diligentiam: nam dicis te binas tantum à me literas accepisse, ternas vero ad me dedisse. Quod si in eo gloriari licet, ego jam septimo ad te scribo, et hactenus ternas tantum à te literas accepi. Operam tuam recte et utiliter collocabis, si te scribendo diligenter exerceas interea dum abes à patria: nam ubi eo redieris, nequaquam id tibi concedetur. At nisi consequutus fueris facilem in scribendo facultatem, carebis fere præcipuo fructu tuorum studiorum et laborum, et minus commode poteris colere amicitias cum exteris hominibus contractas: nam cum natura te totum ad humanitatem effinxerit, existimo te esse ita affectum, ut eas immortales esse cupias. Noster Rex Poloniæ tandem longum vale dixit suis quarto die hujus mensis in oppido Lotharingiæ Blamont: nam mater, frater Alençonius, Dux Lotharingiæ, et alii proceres, ipsum eo usque deduxerunt. Inde profectus est Sarburgum, Palatinopolin (cujus surgentia mœnia salutavit) Tabernas,

Haganoam,

Haganoam, Weissemburg, Landavium, et Spiram. Duodecimo die hujus mensis trajecit Rhenum ad Spiram, et est profectus Heidelbergam ad Electorem Palatinum, qui est imbecilliore valetudine. Miserat obviam Regi in Blamont usque filium Christophorum, quem sunt comitati, Senior Comes Hanaviensis, et Ludovicus Nassaviensis. Illustrissimus meus Princeps (ut audio) excipiet ipsum magnifice Torgæ. Ob eam rem habet apud se Ducem Casimirum generum suum. Fuissem spectator illius pompæ nisi me tui amor detinuisset hic, ubi malo esse, ut à te literas crebro accipiam, et te videam si forte in Poloniam iveris, et quæ potero officia tibi præstem. Comitatus Regis Polonici divisus est in tres turmas; quarum primam ducit Mareschalcus Retzius; postremam Nivernensis; in media Rex habet secum Principem Condæum. Dies decimus septimus proximi mensis dictus erat ejus inaugurationi, quam necessario rejicient in mensem Februarium, cum jam sit impossibile Regi venire Cracoviam ante finem Januarii. Imperator mittet eo legatum Ducem à Teschen, ex familia Monsterbergensi, quem puto esse pronepotem Georgii Pogebratii Regis Bohemiæ. Rex autem Hungariæ mittet Braunerum, tibi notum. Splendida erit legatio: nam puto istos habituros ad quadraginta aut quinquaginta rhedas, et magnum numerum equitum: nam tota fere nobilitas harum regionum tam insigni spectaculo interesse cupit. Rex Hung. et Arch. Ernestus perendie hinc sunt ituri Pragam, ut regni Bohemici conventus peragant: in quibus de regno jam non agetur (ut audio) sed de conferenda pecunia. Reversuri sunt huc rursus sub initium Februarii: nam sub illud tempus convenient Posonii ordines regni Hungarici. Sub initium hujus mensis huc scriptum erat ex inferiore Germania, Reginam vestram diem suum obiisse: de qua re cum esset incerta, nolui

ad te ſcribere ne te turbarem. Jam vero ſcriptum eſt ad me Heidelberga rumorem illum eſſe falſum, et Palatinum Electorem nuper ab ea literas accepiſſe. Scribitur jam Regem Scotiæ ſublatum eſſe veneno, quod ſane nollem, ſed ſpero fore falſum rumorem hunc. Salutat te officioſe Dominus Vulcobius, et petit ut tuæ valetudinis rationem habeas. Quoniam ſcripſeras te non tamdiu manſurum Venetiis, videtur neſcio quid metuere. Legatus Gallicus in ſuis ad ipſum literis oſtendit ſe præclare de tuo ingenio ſentire, et agit ipſi gratias quod ex ipſius literis habuerit occaſionem contrahendæ tecum amicitiæ. Pulchrum eſt laudari a laudato viro, ut ait Hector ad parentem. Vide ut utrique gratias agas, et ut aliquo officio tibi devincias iſtum Camillum Crucium, qui noſtras literas procurat, quem peto ut meo nomine ſalutes, et ei mea officia deferas, etiamſi me non noverit. Ego omnes amo qui erga te ſunt officioſi. Saluta Dominum Bruſchettum et Dominum Conyſbæum. Hæc ſcripſi dormituriens.

Viennæ, 24. die Decemb. 1573.

VIII.

ACcepi literas quas ad me dediſti 19. die ſuperioris menſis, quæ quidem fuerunt mihi pergratæ, cum nihil à te proficiſci poſſit quod mihi non ſit gratiſſimum: ſed ex iis conjicio, quod fueris ſuſpicatus me ſubdubitaſſe de tua conſtantia in colenda amicitia inter nos contracta. Obſecro te ne id in animum inducas: nam ſcio nihil tale in generoſam tuam naturam cadere poſſe, nec etiam puto me præbuiſſe tibi cauſam mutandi tuum erga me animum. Aliquoties quidem conqueſtus ſum quod ex itinere nihil ſcripſeris. At ejuſmodi querelæ à nullis ſæpius uſurpantur quam ab iis inter

quos est summa amicitia, et nihil aliud sunt quam vehementis amoris indicia: nec credas te posthac ab iis fore immunem: nam erunt tela quibus te feriam, et ulciscar injuriam quam putabo mihi à te fieri, si de tua in scribendo diligentia aliquid remiseris, vel te in periculum aliquod conjeceris. Ut autem scias quid à me tibi sit expectandum, volo tibi ferre legem qua soleo amicos placare, si quando adversus me commoventur, aut mihi succensent. Lex est, ut mihi liceat tecum libere jocari, te monere, accusare, tecum expostulare, et quicquid mihi in mentem veniet ad te scribere. Quoniam autem vel ipse aer Patavinus te jurisconsultum reddidit, scis jure cautum esse, quod quisque juris in alium statuerit ut eodem ipse jure utatur; ego non solum volo subire legem quam tibi fero, sed etiam quidvis aliud in me tibi permitto, præterquam me odisse. Ludam interdum tecum ejusmodi literis quales fuerunt eæ quæ te commoverunt, ut tibi præbeam occasionem exercendi te, et scribendi varii generis epistolas, dum meas accusationes refelles, aut me vicissim accusabis: quod genus exercitii multum in se utilitatis habere creditur. Petis ut tibi significem quomodo stylum formare debeas. Recte facies meo judicio, si utrumque volumen epistolarum Ciceronis diligenter legeris, non solum ob Latini sermonis elegantiam, sed etiam ob res gravissimas quæ in illis epistolis continentur: nusquam enim melius explicatæ sunt causæ quæ rempublicam Romanam in exitium præcipitaverunt. Multi putant esse utilissimum deligere aliquam ex epistolis, et eam vertere in alium sermonem, postea, remoto à se libro, eam denuo in Latinum sermonem convertere, deinde, inspecto libro, videre quam prope ad genus dicendi Ciceronis accesseris. Sed cave ne delabaris in eorum hæresim qui putant summum bonum consistere in imitatione Ciceroniana, totamque vitam in

ea

ea conterunt. Quod iter tuum Polonicum in aliud tempus rejicias non ſolum probo, ſed etiam antea ſcripſi me ſuadere. Utinam tibi contingat quod de Hanavienſi Comite ſperas. Ea res tibi omnes itineris moleſtias levaret, et mutuis colloquiis erudiretis vos, et oblectaretis. Si hic haberentur venalia Plutarchi opera, ego nulli pecuniæ parcerem quo poſſem deſiderio tuo ſatisfacere. Quoniam video Dominum Volcobium eo ſcriptore maxime delectari, non auſus ſum ab eo petere exemplar quod habet. Si tamen juſſeris, excutiam verecundiam, et petam. Ubi cœperis legere Ciceronis epiſtolas, forte non requires Plutarchum. Laudo quod aliquid ſtudii impendas aſtronomiæ, cujus qui ſunt prorſus ignari coſmographica intelligere non poſſunt. Qui vero legunt hiſtorias ſine cognitione coſmographiæ, videntur mihi non abſimiles iis qui noctu iter faciunt. Ea de quibus te monere volui ſunt ejuſmodi ut non ſit tutum ea literis committere, nec mihi tua errata (ut ſcribis) præbent ad eam rem materiam, ſed potius tua virtus, quæ propediem (ut ſpero) fiet ita conſpicua, ut tua facta et dicta plurimi ſint obſervaturi: quare videndum tibi erit coram quibus de rebus veſtris loquaris. Erras ſi exiſtimes te poſſe placare invidiam virtute, cum nulla re magis irritetur. Sed de hac re plura quum conveniemus. Soleo me interdum oblectare apud humaniſſimum noſtrum Abondium aſpectu tuæ imaginis, ſed ſtatim do ejus rei pœnas: nam renovatur mihi dolor quem ex tui diſceſſu ſenſi. Exemplum epiſtolæ de electione Polonica quod tibi oſtendam, non puto me habere; ſed ſi ejuſmodi ineptiis delectaris, dabo operam ut habeas orationem, quam nomine aliquot principum Germanicorum habuimus ad Regem Galliæ ante triennium; in qua ſunt quædam ita libere dicta, ut in tumultu Pariſienſi valde metuerim, ne ea res eſſet mihi exitio. Miror quis hæc tibi

 dixerit

dixerit quæ de Turcicis fœderibus ſcribis. Non videtur ſatis peritus rerum is qui voluit Turcas et Hiſpanos conjungere fœdere, vel Turcas, Anglos, Polonos, et Saxones. Qui veniunt Conſtantinopoli dicunt, fieri Imperatori certam ſpem prorogationis induciarum; ſed nonnihil durioribus conditionibus quam antea. Venetis etiam ſpem factam pacem cum Turcis tandem coalituram. Hiſpani etiam dant operam ut pacem quovis pretio redimant, quos ſane (ut nihil diſſimulem) nollem fieri voti compotes: nec enim vobis, nec iis qui in Gallia et inferiore Germania puriorem religionem profitentur, id utile fore crederem. Archidux Erneſtus profectus eſt Pragam ad peragendos Regni Bohemici conventus. Regem Rodolphum hic detinuit febricula, quæ ſimul cum catarrho corripuit eum die natalis Chriſti ſub finem prandii. Ex diſciplina Hiſpanica pridie abſtinuerat à cibo, et ſacris illis nocturnis interfuerat. Audio morbum jam eſſe factum leniorem. Dominus Vulcobius ſalutat te officioſe, et petit ut excuſes eum quod jam ad tuas literas nihil reſpondeat; nam ipſi jam in Galliam et Poloniam fuit ſcribendum. Si me ames, peto ne iſtam ſcribendi conſuetudinem intermittas. Non poſſum dicere quantâ me voluptate tuæ literæ afficiant. Ego tibi et tuis felicem hunc annum precor.

Viennæ, Calend. Januarii 1574.

IX.

JAm ex noſtra amicitia percipio ſuaviſſimos fructus, quia video te amari ab iis quibus maxime cupiebam ut placeres: Accepi literas ab illuſtri Comite Hanavienſi et à clariſſimo Domino Welſpergero; quorum uterque te laudibus in cœlum effert, et ſibi tuam amici-

tiam

tiam gratulantur, mihique agunt gratias quod fuerim ejus tanquam conciliator. Vide autem ut ipsis in amore respondeas, et tuam ac meam existimationem tuearis, et bonorum virorum judicio de te satisfacias; et cave, ne laudum dulcedo ita te incantet, ut persuadeas tibi te jam ad virtutis metam pervenisse, aut in eo studio satis sudasse, in quo opus est, ut te quamdiu vives exerceas; nam nullam aliam metam habet quam finem vitæ per decus actæ. Pergendum est igitur quo te tua fata vocant; quæ, sive sint læta sive tristia, virtute erunt moderanda. Sed vide quo me abripiat tui amor. Gaudeo quod tandem constitueris migrare Patavium, urbs est tranquillior Veneta, et ad studia aptior. Antequam discedas Venetiis, da operam ut tibi, vel munusculo aliquo, concilies Camillum istum, qui literas nostras procurat: nam nollem literas quas ad me scribis mitti legato Ferrerio hanc ob causam. Perrotus, qui apud ipsum vivit, (quem puto ipsi literas ostendisse quas de te ad fratrem ejus scripseram) scripsit mihi nuper, me facturum rem gratam legato, si interdum de rebus publicis scribam ad ipsum, quem aiebat, in mei gratiam, paratum esse quælibet officia tibi præstare, cum intelligat quanto amore te prosequar. Ego sane ipsum propter virtutem colo et magnifacio; ac etiam eo nomine me plurimum ipsi debere agnosco, quod humaniter te exceperit, et libenter ei gratificarer ac inservirem. Sed (ut nosti) colo amicitiam cum Domino Vulcobio, qui nullam prætermittit ad ipsum scribendi occasionem. Si itaque scriberem, metuerem ne Vulcobius suspicaretur, me aut velle videri plus sapere quam ipsum, aut etiam aliqua scribere quæ non aperiam ipsi, cujus munus est scribere in aulam de rebus Germanicis. Sunt et aliæ causæ quæ me à scribendo deterrent, quas non est opus recensere, sed esset utile te scire: nam et id esset postea tibi usui. Quæ ad te scribam de

rebus

rebus publicis poteris ipsi interdum significare, si ita tibi videbitur, dummodo non dicas te ea à me habere. Mi charissime fili, da operam, obsecro, ut in Latinæ linguæ pronunciatione quædam mutes. Nihil est tam arduum quod ingenio assequi non possis. Ea res parum habebit in se laboris. Poteris uti operâ Delri, hominis suavissimi, qui ludendo et jocando tecum id perficiet. Puto Regem Poloniæ jam pervenisse in suum regnum. Superavit Albim sub finem superioris mensis: quare deponendæ tibi sunt cogitationes omnes de ejus inauguratione; ad quam si accessisses, fecissem aliquid quod (ut credo) tibi non fuisset ingratum; sed id scribere nolo, ne existimes me tibi assentari velle. Hac facit iter ingens numerus fidicinum, histrionum, mimorum, scurrarum, et hujusmodi nebulonum, qui ex Cracovia proficiscuntur. Bene vale.

Viennæ, Sept. die Januar. 1574.

X.

VAlde perturbarunt me tuæ literæ, in quibus scribis, te non esse satis firma valetudine, ac etiam solito tristiorem. Obsecro te ut rationem habeas tuæ valetudinis, nec tantum temporis tribuas tuis studiis. Fuge istas lacunas, quibus nihil est inamœnius, ubi quis vidit ea, quæ in urbe sunt spectatu digna. Miratus sum, te tamdiu hærere in isto perpetuo strepitu, et fœtore, cum præsertim scribas, te nondum contraxisse familiaritatem cum quoquam, cujus consuetudo magnopere te delectet. Propera igitur Patavium, ad tuum Comitem Hanaviensem, et ad alios bonos viros, qui te unice diligunt, et tuam consuetudinem mirifice expetunt, ut nuper ad te scripsi: nam Comes Hanaviensis dedit ad me literas, quæ nihil nisi verum et fra-

ternum

ternum erga te amorem ſpirant. Dominus Welſpergerus propemodum te non minus amat, quam ego. Da operam, ut fias ipſi maxime familiaris, quo poſſis eum de tuis rebus liberius conſulere. Eſt vir integer, et multarum rerum peritus, et qui procul pericula proſpicit; ad quæ accedit ſumma humanitas et animi moderatio. Conſtituit D. Comitem deducere ad ea Italiæ loca, quæ ſine periculo adiri poſſunt, et poſtea huc venire. Cave ne negligas occaſionem te adjungendi ipſis comitem in eo itinere; nam nec jucundius, nec tibi magis conveniens ſodalitium deligere poſſis. Sed mature tibi danda erit opera, ut ſis inſtructus rebus omnibus ad illud iter neceſſariis, ne quæ difficultas ſe objiciat, quando id erit perficiendum, quod decreveris. Si aliquid in ea re potero, tu noviſti, quo ſim erga te animo. Pecuniâ certe meâ, quantulacunque illa ſit, tibi ut tuâ uti licebit; et ſi uſus fueris, exiſtimabo me beneficium à te accipere, et tum demum credam te intelligere, quanti te faciam, et quantus ſit meus erga te amor. Hæc ideo dico, quia ſcio non raro accidere iis, qui procul à patria peregrinantur, ut negligentia eorum, qui res ipſorum procurant, pecunia ad ipſos miſſa ſuo tempore non reddatur, idque interdum eſſe in cauſa, ut res ſuas ex animi ſententia inſtituere non poſſint. Depone ex animo inaugurationem Poloniцam, nec crede fabellis tui Bellebovii. Jam hinc deceſſerunt legati, quos Imperator, et Rex Hungariæ eo mittit. Scripſi antea, me exiſtimare regem Poloniæ Albim trajeciſſe ſub finem ſuperioris menſis, quod habebam ex ore Imperatoris, qui dixerat coram plurimis, id ad ſe eſſe perſcriptum. Sed erratum fuit ab iis, qui ſcripſerunt. Quintâ die hujus menſis venit in Salinas Saxonicas, ubi diem unum quievit. Inde abeſt Torga octo aut novem milliaribus Germanicis, quam alluit Albis, et ibi junctus eſt ponte. Eo puto regem perveniſſe

octavâ

octavâ die hujus mensis; et, quantum possum conjicere, jam attigit sui regni fines, aut saltem non procul ab iis abest. Utinam non sint vera, quæ de rege Scotiæ scribis: nam idem etiam ex aliis locis huc est perscriptum. Deus bone, quantæ turbæ illis in locis exorientur! quibus haud dubie vos involvemini. Quam cuperem, jam tecum colloqui: novisti enim quod sit periculosum, talia literis committere. Hæc res te etiam movere debet, ut tibi caveas diligentius. Si quid magnum apud vos moveri intelliges, consulo ut omnino in Germaniam redeas: nam non putarem, te vel istic, vel usquam in Italia tutum fore; si quid de ea re postea audies, rogo, ut id ad me perscribas, ego vicissim ad te scribam quæ habebo, ac etiam quid putem tibi esse faciendum. Quæ de rege Sueciæ scripsisti, puto non esse vera; sed de ejus uxore quæ est Polonica, tale aliquid antea audivimus. Forte sperat se ex professione religionis pontificiæ impetraturam ab Hispanis Ducatum Barrensem, et Rossanensem Comitatum, qui ad matrem ejus Bonam Sfortiam pertinuerunt. Miror Suecorum simplicitatem, qui putant, se posse ea ratione fallere Hispanos, quibus peculiare est simulatione et pretextu religionis hominibus illudere. Cura ut literæ, quas ad D. Comitem et ad Welspergerum scribo, ipsis reddantur; et rogo, ut de tua valetudine diligenter ad me scribas, et eam adhuc diligentius cures. Bene vale.

Viennæ, 15. die Januarii, 1574.

XI.

GAudeo, quod tandem constitueris, te conferre Patavium, ubi poteris facile nancisci commodius hospitium, quam Venetiis; et, ut spero, habebis jucun-

diores ſodales, cum quibus te exhilares, et de tuis ſtudiis colloquaris. Rectiſſime feciſti, quod initia Aſtronomiæ didiciſti; ſed non conſulo, ut in eo ſtudio ulterius progrediaris, quod multum habet difficultatis, nec tamen inde magna utilitas ad te reditura eſſet. Neſcio an ſit conſultum, ut animum adjicias ad geometriæ ſtudium, quod quidem eſt pulcherrimum, et maxime dignum liberali ingenio; ſed cogitandum tibi eſt, quæ ſit tua fortuna, et quam cito avellendus ſis ab iſto otio literario; quare breve illud tempus, quod tibi ſupereſt, oportet te totum impendere in res maxime neceſſarias. Voco autem res neceſſarias quas turpe eſt ignorare eos qui illuſtri loco ſunt nati, et quæ poſtea tibi ornamento et præſidio eſſe poterunt. Geometria quidem magno uſui eſſe poteſt viro nobili, in muniendis et oppugnandis urbibus, in caſtrametationibus, et in omni architecturæ genere; ſed certe opus erit tibi multo tempore ad tantum diſcendum, ut ex eo utilitatem percipias; nam judico ineptum eſſe plurimarum artium initia ad oſtentationem potius, quam ad uſum, diſcere. Præterea, cum naturâ ſis parum hilaris, ſtudium illud te adhuc triſtiorem reddet; et quia in eo opus eſt vehementi animi intentione, abſumuntur eâ re ſpiritus vitales, et animales, et corpus plurimum debilitatur, et quo præſtantiora ſunt ingenia, eo ſunt amores illi intentiores, et propterea magis nocent: tu vero, ut noviſti, non es corpore admodum robuſto. De Græcis literis, quid conſulam, neſcio, cum ſtudium illud ſit pulcherrimum: verum, metuo, ne tibi deſit tempus ad id perſequendum; et quantum ei temporis impendes, tantum decedat ſtudio Latinæ linguæ, quæ, etiamſi habeatur minus elegans quam Græca, eſt tamen tibi magis neceſſaria ejus cognitio. Itaque in ea re, ut dixi, non audeo tibi quicquam conſulere. Suadeo autem ut primo diſcas quæ ſunt maxime neceſſaria, et tuæ for-

tunæ conveniunt. Jam habes quatuor linguarum notitiam. Si ludendo tantum de Germanica discceres, ut eam utcunque intelligeres, recte (meo judicio) tuam operam collocares. Cognitio nostræ salutis, quam nos docent sacræ literæ, nobis est maxime necessaria. Post illud studium, nullum tibi utilius esse judico, quam illius partis Philosophiæ moralis quæ docet quid sit justum vel injustum. De historiarum lectione, qua re maxime formatur judicium, non est quod tecum agam, cum tuâ sponte ad id studium feraris, et in eo jam feceris magnos progressus. Sed forte obtundo te aliis rebus occupatum, his meis prolixioribus literis. Moneo autem ut habeas diligentem curam tuæ valetudinis; et caveas, ne eam nimiis studiis affligas. Nihil immoderatum est durabile; nec satis est mentem esse sanam, nisi habitet in corpore sano. Cum sis naturâ minus hilaris, quærendi sunt tibi sodales quorum honestâ consuetudine exhilareris. Illustris Dn. Comes Hanaviensis, et tota ejus familia, te singulari amore prosequitur. Consulo, ut ipsis familiarissime utaris. Non deerunt et alii boni viri, qui, si amicitiam eorum expetas, habebunt id pro beneficio. Quamdiu non mutabis animum, ubique terrarum invenies qui te ament, et tibi humanitatis officia exhibeant. Quoniam Imperator putatur iturus Pragam intra duos menses, jam incipio metuere, ne sim adeo infelix, ut mihi non liceat te videre quum redibis in Germaniam; qua re nihil mihi acerbius contingere posset. Quod si mihi ex animi sententia omnia ita eveniant, ut adhuc tuo conspectu fruar, mihi tamen non licebit diu frui. Quantum autem dolorem mihi allaturus sit tuus discessus prævideo, et ei libenter occurrerem; sed nihil mihi venit in mentem quo occurri possit, nisi forte tua effigies levamen aliquod mihi attulerit. Quamvis ita sit animo meo insculpta, ut mihi perpetuo obverse-

tur,

tur, peto tamen, ne tibi ſit grave tantum meæ cupiditati indulgere, ut eam ad me mittas vel adferas, quando ad nos redibis: quam etiam ideo cupio habere, ut oſtendam iis, quibus indico quid de tua indole ſentiam, et quam ſpem de tua virtute conceperim: nam exiſtimantes, non poſſe in aliquo eſſe tot animi dotes, quin aliqua earum indicia in corpore, et præſertim in facie, eluceſcant, omnes magno videndi te deſiderio capiuntur. Hoc tamen ita à te peto, ut tibi ſit liberum, ſine ulla mea offenſione, id mihi denegare; nam nollem à te quicquam petere quod tibi ingratum fore putarem. Potuit nuper tantum apud me conſpectus illius tuæ effigiei, quæ eſt apud noſtrum Abondium, ut reverſus domum hos verſiculos ſcripſerim quos ad te mitto; cum tamen à prima adoleſcentia totum illud ſcribendi genus non exercuerim. Volo me propinare tibi deridendum, et dicere meos verſiculos non videri mihi ineptos, et propterea cupere ut inſcribantur tabellæ, quam curabis pingi, ſi ſatis ſit in ea vacui ſpatii. Ago maximas gratias D. Bruſchetto, pro humaniſſimis ejus literis, ad quas reſpondiſſem ſi tantum mihi fuiſſet otii; ſed profecto ego fui occupatiſſimus; et interea dum hæc ſcribo mecum eſt præſtantiſſimus vir Doct. Andreas Paulus, Illuſtr. mei Principis conſiliarius, vir præſtanti ingenio, et mihi amiciſſimus, qui te nunquam viſum amat, et tibi ſua officia defert, ac te ſalutat. Bene vale.

Viennæ, 22. die Januarii 1574.

XII.

GAudeo, quod te tandem extricaveris ex moleſtis illis negotiis, quæ te tamdiu Venetiis detinuerunt: nam exiſtimo ſatius eſſe ut iſtic vivas, ſive ad animi

culturam, ſive ad valetudinem tuam, reſpicias: et ſpero tibi fore facilius nanciſci ſodales, quorum honeſtâ conſuetudine te oblectes, et iſtam tuam interdum nimiam triſtitiam diſcutias. Vide ne tantum temporis tribuas culturæ animi, ut valetudinem negligas, vel etiam offendas; ne ſimilis fias viatori, qui longo itinere dat quidem operam ut ipſe bene habeat, equi vero ſui nullam rationem habet. Scripſi nuper quid de tuis ſtudiis mihi videretur. Cogitandum eſt tibi quæ ſit tua conditio, quæ non permittit ut in literarum ſtudiis conſeneſcas: imo breviſſimum eſt illud tempus quod tibi ad eam rem ſupereſt: quare videndum eſt tibi, ne tam multa ſimul complectaris, ut alterum alteri ſit impedimento. Quamvis nihil ſit tam arduum et difficile, quo non poſſit penetrare illa excellens vis ingenii tui; opus eſt tamen diuturno tempore ad varia ita diſcenda, ut ex iis utilitatem poſſis capere, quod tibi nequaquam concedetur ubi ad tuos redieris: nam erunt tibi, ſi non prorſus abjicienda, intermittenda tamen tua ſtudia. Diſce igitur maxime neceſſaria, et quorum cognitio ad vitam recte inſtituendam et tranſigendam eſt utilis, et memineris ad te pertinere illud Poetæ. "Tu regere imperio populos," &c. et ad eam rem plurimum conferre, hominum multorum, ut ait ille, mores et urbes conſideraſſe: quod tibi minus licebit, ubi in patriam redieris, quam literis incumbere. Optarem, ut antea ſcripſi, te poſſe conſequi tantam Linguæ Germanicæ peritiam, ut intelligas quæ audias et leges: nam eam perfecte addiſcere non poſſes, niſi multo tempore ac labore. Habetis plurimum commercii cum gente Germanica; cujus jam in orbe Chriſtiano præcipua eſt authoritas et potentia; quam haud dubie majorem adhuc reddet noſtra et aliorum vicinorum populorum ſtultitia. Mihi videtur pene ridiculum, quod veſtri homines tantopere affectent in lingua Italica eloquentiam,

cum

cum ab Italis nulla quod ſciam commoda percipiatis, ipſi vero à vobis plurima; quare deberent ipſi potius linguam veſtram addiſcere. Sed forte metuitis, ne non poſſitis ipſis perſuadere ut veſtram pecuniam accipiant, niſi ſitis valde facundi. Vide, mi dulciſſime Sydnæe, ut tecum nuger; ſed quia jam eſt animus impulſus, volo et aliquid aliud nugacius addere. Neſcio, quo meo malo fato, ſuperioribus diebus incidi in ſuaviſſimos duos ſcriptores; quorum alter deſcribit Galliam, alter vero Angliam. Is, qui deſcribit Galliam, nominatur Robertus Coenalis, Abrincenſis Epiſcopus, homo ineptiſſimus et indoctiſſimus. Alter vero judicaret ſe magnâ à me affici injuriâ, ſi eum nominarem Anglum, cum ſe Cambrum, et non Anglum eſſe, ſæpius clamet. Nomen eſt Humfredus Lhuid, homo quidem, ſi non doctus, ſaltem multæ lectionis; ſed qui interdum de rebus ita judicat, ut non raro viſus ſit mihi carere ſenſu communi. Miſerum Hectorem Boecium et Polydorum Vergilium ita flagellat, ut, etiamſi graviter peccaverint, medicina tamen modum excedere videatur: Bene autem tecum agitur, quod tui progenitores ex Gallia originem duxerint: nam dicit Saxones, à quibus Angli deſcendunt, fuiſſe tantum piratas et latrones. Scis Germanicos ſcriptores ſpoliaſſe nos miſeros Gallos Imperio, quod dicunt nunquam apud nos fuiſſe. Expeditionem Hieroſolymitanam Godefridi Bullionii dicunt ſuam eſſe, et novos et veteres Græcos et Latinos nugari, qui ſcribunt, Gallos toties irrupiſſe in Italiam, et, incensâ Româ, penetraſſe uſque in Græciam et in Aſiam; cum iſti omnes haud dubie fuerint Germani. Verum tantum abeſt, ut iſte bonus Cambrus tantis noſtris calamitatibus afficiatur, ut etiam nobis inſultet: nam illum incendiarium Brennum, quem propter ſacrilegia et triſtem exitum, nonnulli Germani nobis reliquerunt, nobis eripit, et in Cambrum transformat. Sed audi miſeran-

dum

dum hominis fatum, vel potius vindictam divinam: nam existimo, Vulcanum, pro detecto uxoris adulterio, voluisse referre gratiam Apollini, adhuc irato Brenno, et omnibus ejus fautoribus, ob commissum Delphis sacrilegium; cum dormitabundus lectionem boni Cambri in multam noctem protraxissem, nescio quomodo accidit, ut flamma librum corripuerit, ita ut bona ejus pars exusta sit, antequam incendium restinguere potuerim: nam nondum erat compactus. Ea res me initio utcunque commovit: verum ubi ad me redii, cœpi ridere, existimans, bene esse mecum actum, ademptâ mihi occasione tempus inutiliter terendi in ejusmodi ineptiis. Parum autem abfuit, quin ad te miseri mei Cambri ambustas reliquias miserim, ut juberes tuum Griffinium, ejus popularem, parare ei exequias, tu vero risu parentares. Sed obsecro, manda Griffinio, ut ei scribat epicædium linguâ Cambricâ, et ad me mittat. Archidux Ernestus jam ad nos redit, re (ut aiunt) infectâ, ob quam in Bohemiam fuerat missus à parente. Bohemi nolunt pacisci cum filiofamilias, sed cum eo qui possit non solum accipere quod offertur, sed etiam aliquid largiri. Necesse itaque erit, ut imperator ad ipsos proficiscatur, quod puto eum facturum sub finem Martii. Utinam sub illud tempus venires ad nos. Iremus una Pragam usque, et forte ulterius; et perlustraremus ea quæ spectatu sunt digna in Moravia et Bohemia, et in itinere tempus colloquiis falleremus, quæ forte non essent tibi futura ingrata: mihi vero gratissima. Sed hæc tibi scribo, et non aliis. Aiunt regem Poloniæ pervenisse Posnaniam. Dies quintus proximi mensis dictus est exequiis Regis Sigismundi Augusti, et decimus inaugurationi novi regis. Mitto ad te ineptias, quæ cito parient tibi fastidium. Bene vale, et amicos saluta.

Viennæ, 28. die Januar. 1574.

XIII.

EST mihi gratum, quod in literis tuis prodideris quam sis cupidus ulciscendi injuriam quam existimas à me tibi esse factam, quum te accusavi ob semel intermissam scribendi consuetudinem: quod tamen à me merito est factum, nisi forte nos fefellit is, cui literas tuas procurandas tradere soles. Sed audi vestros jurisconsultos dicentes, crimina purgari innocentiâ, et non relatione criminum: si enim ego peccarem, tu propterea non excusareris à peccato. Cave autem, ne mihi denuo præbeas occasionem accusandi te neglecti officii in scribendo: nam si id feceris, ego te inclementer accipiam, nec ejusmodi peccatum tibi unquam condonabo. Gaudeo contractam inter te et Dominum Comitem amicitiam tam feliciter coalescere, et ad vos tertium accedere Dominum Baronem Slavatam, qui ad me nuper literas dedit, testes summi ipsius erga te amoris. Quod vero scribis, te (post divini numinis cultum) summam felicitatem constituere in colenda amicitia cum bonis viris; dignum est laude; et si id feceris, nunquam te ejus rei pœnitebit: cum (ut ait ille apud Ciceronem) amicitia sit sal et condimentum vitæ. Natura erga te benigna tantum tibi indulsit, ut possis quoscunque voles amicos tibi deligere: nemo enim erit, in quo sit aliquid virtutis, qui non existimet, se beneficio affici, si à te ad amicitiam invitetur. Ubi vero thesaurum ex amicis tibi comparaveris, senties quantum sit in ea re suavitatis, ac etiam quantum præsidii, si forte aliquando contingat, te iniquioris fortunæ procellis concuti et agitari: quod quidem, oro Deum, ut avertat; sed tamen ejusmodi casibus sunt præcipue obnoxii ii quorum virtus maxime

xime eminet : nam (ut eſt in vetere dicto) virtutis eſt ſemper comes invidia, eique perpetuo inſidiatur. Ex tua quidem gente præcipue deligendi tibi ſunt amici, ut cum iis vitam ſuaviter tranſigas ; ſed tamen, ſi ſe ex aliis gentibus offerant, quibus aliquid virtutis ineſſe videas, iis nequaquam via ad tuam amicitiam occludenda erit : ejuſmodi enim amici raro ſunt ſimulati, cum in amicitia ad ſua commoda non reſpiciant, et ſæpenumero offerunt ſe ipſis occaſiones benemerendi de amicis ; et præſertim hoc infelice noſtro ſæculo, quo ſæpius vidimus præſtantes viros extorres et profugos ex patria, ideo tantum, quod ſceleratis factioſorum hominum conſiliis ſubſcribere noluerint. In patria nunquam deerunt plurimi qui ſe tibi eſſe amicos dicant, præſertim ubi fueris ad dignitates evectus ; ſed cum multi reperiantur, qui ſint tantum amici fortunæ, cumque ea animum mutent, danda erit opera, ut tales à veris et ſinceris amicis diſcernere poſſis. Proxime ad te ſcripſi, quid de tuis ſtudiis mihi videretur. Obſecro, ut aliquid tentes in emendanda tua pronunciatione. Nihil erit excellenti tuo ingenio impoſſibile. Senties aliquid moleſtiæ initio ; ſed mihi crede, non erit opus multo tempore ad eam rem perficiendam ; et quia pauci ex veſtris hominibus id curant, eo plus gloriæ inde reportabis. Delige tibi virum doctum, cujus pronunciatio tibi probetur, et quotidie per dimidiam horæ partem, ſolus cum eo colloquere de variis rebus. Sume tibi initio ſolius literæ A pronunciationem emendandam ; et mone tuum, ut quotieſcunque non recte pronunciabis te reprehendat, ita ut quotieſcunque reprehenderis, pro pœna, ſeu mulcta, nummulum, vel quid tale pendas. Ego certo ſcio, quod intra quinque aut ſex dies, ſenties, te non male operam collocaſſe, et ad reliqua perſequenda alacrior fies. Ei qui eſſet duriore ingenio, id forte non conſulerem ;

tu

tu vero potes quicquid vis: quare non eſt, quod mihi objicias, tuum verſiculum, qui ait, naturam ſemper recurrere: niſi enim præſtiteris id quod à te peto, ego voluntatem et negligentiam tuam accuſabo, et non naturam innocentem. Vix præterierunt duo menſes ex quo ad me cœpiſti ſcribere; et tamen tam parvo tempore tantum ſcribendo profeciſſe mihi videris, quantum alius vix toto anno proficeret. Diligenter obſervavi te loquentem noſtrâ linguâ, ſed vix unquam deprehendere potui te vel ſyllabam unicam non recte pronunciare. Obſecro, mi chariſſime Sydnæe, ut id in mei gratiam tentes; quod ubi perfeceris, in te nihil habebunt quod reprehendant vel etiam maligni cenſores. Ignoſce autem meo amori, qui cogit me tibi forte eſſe moleſtum hæc inculcando. Miſi ad te orationem, cujus apud te mentionem feceram, potius ut explerem tuam cupiditatem, quam quod mihi digna videretur quæ à te legeretur; et certe eſt divulgata, me inſcio, et valde ægre ferente. Noſter ſtationarius rex tandem pervenit in ſuam Poloniam ſalvus et incolumis. Ejus inauguratio eſt rurſus rejecta in decimum ſeptimum diem hujus menſis; dum hæc ſcriberem, audivi rurſus differri in vigeſimum primum diem. Quæ de Moſchovitarum in Lithuaniam irruptionibus dicuntur ſunt falſa. Princeps ipſorum mittit ad Polonum ſplendidam legationem: nam dicitur eſſe mille equitum. Legati ſunt ad Smolenſkum, quod eſt ad Boryſthenem, ubi expectant literas commeatûs, ſeu ſalviconductûs, ut vocant; quas audio jam ad ipſos miſſas. Putantur acturi de pace, vel de induciis. Imperatoris valetudo eſt paulo incommodior. Laborat ex calculo, et faſtidit cibum. De infelice noſtra Gallia, quid aliud dicam quam illud Petrarchæ, "Pace non trovo et non "ho da far guerra." Qui dicunt aliquot urbes Hollandiæ ſeſe dedidiſſe novo præfecto Belgii, illi valde

errant: nam puto ne unum quidem anserem ipsi deditum esse. Instaurat magno studio classem, ut Midelburgensibus suppetias ferat, qui omnium rerum inopiâ laborant; sed id non sine pugna perficiet; nam Gueusii sunt ad ostium Scaldis, qui videntur esse cupidissimi conserendi manus. Ipse Princeps Arausiensis est Flissingæ, ut ex propinquo omnia rectius constituere possit. Bene vale, et me ama, ac amicos saluta, et sis memor eorum quæ de tua effigie scripsi.

Viennæ, 5. Feb. 1574.

XIV.

TU sane te virum præstitisti, et quidem egregium. Quam insolenter mihi insultasti in postremis tuis literis, imo, quam atrocia minatus es, cum tamen nullam ejus rei causam haberes, ut tu ipse fassus es, qui in iisdem literis culpam agnovisti, et deprecatus es? Jam vero miror qua fronte sis crimen tuum excusaturus, cum in illum eundem scopulum tam cito impegeris, quem meo naufragio factum infamem mihi objiciebas. An non metuis, ne tota querelarum et accusationum plaustra in te effundam? Judicabo sane non solum ingenium et industriam, sed etiam ipsum cœlum Patavinum, conferre ad eloquentiam, si hanc maculam potueris eluere. Jam me utcunque continebo, nec meas querelas ad amicos deferam; sed si semel adhuc tale facinus perpetraveris, ego commovebo cœlum et terram, et tibi indelebilem notam inuram. Sed forte has meas accusationes parvi pendis, quia scis te apud communes amicos plus valere gratiâ quam ego valeam, et tibi præsenti facile fore ea diluere quæ ego absens objiciam. Quam vereor, "Ne patiar telis vulnera facta meis." Nam omnes, qui ad me istinc scribunt,

ſcribunt, ita ſibi gratulantur tuam amicitiam, et te tanto amore complectuntur, ut incipiam metuere, ne in eo mihi male conſuluerim, quod dederim operam, ut eximia tua ſuavitas et virtus multis innoteſceret. Quam enim eſſem infelix, ſi iſtorum amor te ita abriperet, vel potius mihi eriperet, ut vel mei obliviſcereris, vel in amicitia tua obſcurum aliquem angulum mihi tantum relinqueres? Fuiſſet mihi utilius te rediiſſe ad illos tuos horridos hortulanos, apud quos ante annum vixiſti, quam iſtuc eſſe profectum, ubi tot elegantes homines reperiſti, quorum tibi mores magis placuerunt quam mei; et forte convulſerunt illam gratiam, qua ante hac apud te valui, aut ſaltem me valere belle ſimulaſti. Sed errant iſti tui amici, ſi exiſtimant me paſſurum, ut id mihi ab ipſis eripiatur, quod antea, ſi non meâ induſtriâ acquiſivi, ſaltem tuâ humanitate et liberalitate ſum conſecutus. Miror te in poſterioribus tuis epiſtolis nullam prorſus facere mentionem tui ad nos reditûs, quod tamen antea ſolebas ſemper facere. Non audeo dicere, te captum ſplendore et illecebris rerum Italicarum nos et noſtra faſtidire, ne mihi ſuccenſeas, ſicut antea feciſti: ſed tamen ſi quam cauſam habes ob quam tibi mutandam eſſe ſententiam exiſtimes, vellem te mature id mihi ſignificare, ne inani ſpe tui reditûs me fruſtra paſcam, et vehementius doleam ubi me meâ ſpe falſum animadvertam. Sæpius quidem eſt huc ſcriptum, ut antea tibi ſignificavi, Poloniæ Regem inaugurandum 21. die hujus menſis: jam vero incipiunt nonnulli de ea re ſubdubitare, et ſuſpicari celebritatem illam in Aprilem menſem rejiciendam eſſe. Si quid tale accideret, ego conſulerem ne eam occaſionem negligeres: niſi forte apud te ſtatuiſti non redire in has regiones. Hic etiam ſperamus, ſub illud tempus Regem Rodolphum deſignandum patri ſucceſſorem in Regno Bohemiæ.

Verum ubi quid certius de iis rebus habuerimus, id ad te ſtatim ſcribam. Tibi interea perluſtranda eſſent ea Italiæ loca quæ adire decreviſti, ne quid iter tuum remorari poſſit, quando erit opus feſtinatione. Scripſi antea, ſi quam difficultatem rei pecuniariæ ſentias, te poſſe uti illâ exiguâ quam habeo tanquam tuâ, quod adhuc tibi ſignifico. Proficiſcitur ad vos bibliopola Gallus, quem vidiſti; cui dedi literas ad Dominum Comitem. Petii ab eo, ut te conveniret, et tibi indicaret quis hic ſit rerum ſtatus et Cracoviæ, unde recens rediit. Scripſi etiam ad Magnificum Dominum Ferrerium, legatum Gallicum, ut agerem ei gratias, pro humanitate quam tibi exhibuit, et quod curaverit mihi ſignificari, ſe, in mei gratiam, libenter tibi in pluribus rebus gratificaturum. Inſero etiam meis literis quas cauſas habeam quare non ſæpius ad ipſum ſcribam. Bene vale.

Viennæ, 13. Febr. 1574.

XV.

NIſi metuerem ne te ferociorem redderet mea deprecatio, dicerem me nuper in te accuſando paulo fervidiorem fuiſſe, et peterem id mihi à te condonari: nam literas tuas poſtea accepi: ſed tamen poſt diſceſſum tabellarii, cui meæ fuerant traditæ, à Domino Vulcobio. Verum ſive tuâ ſive alterius negligentiâ factum eſt, ut eas tardius acceperim, judico me recte feciſſe, quod vehementiore illâ accuſatione oſtenderim tibi, quam non ſim futurus erga te indulgens ſi in ſcribendo non præſtiteris illam aſſiduitatem quam mihi promiſiſti. Non parum me impulerunt ad te accuſandum literæ quas poſtremas à te acceperam, quæ nihil niſi minas ſpirabant: nam metuebam ne mea

indignatio defervesceret, nisi eam statim in te effunderem; et quo recentior erat accepta à te injuria, eo jucundior erat voluptas quam vindicta adferebat: longe enim aliter affectus sum quam vos Itali, qui acceptas injurias soletis ita alte animis vestris insculpere, ut nonnunquam earum memoria per multos annos non minus vos torqueat quam vultur miserum illum Prometheum Caucasi rupibus alligatum. Sed hæc jam omittam, quoniam spero te ita præmonitum, daturum operam, ne mihi denuò præbeas occasionem tecum expostulandi. Puto jam ad vos pervenisse famam pugnæ navalis, qua victi sunt Hispani à Gueusiis. Commendator expertus est, quantumvis magnam sapientiam multitudine stultorum obrui posse. Sunt qui dicunt Hispanos amisisse quatuordecim naves, alii dicunt quatuor et viginti, alii etiam plures. Intra paucos dies habebimus de iis certiora. Multi sperant pacem in Gallia, et quidem ejusmodi pacem quæ finem imponat malis cum quibus per tot annos conflictantur. Utinam isti non fallerentur suâ spe; sed nihil adhuc video quod mihi persuadeat ipsis esse assentiendum. De itinere Regis Polonici certiora tandem habuimus: nam sunt hic quidam missi ab ipso ad Imperatorem, qui Germanorum humanitatem mirifice prædicant; sed non præferunt diversoria Polonica iis quæ sunt ad Ligerim. Putant Regem venisse heri Cracoviam, et perendie inaugurandum; quod etiam publice significatum fuit Cracoviæ sexto die hujus mensis. Tartari rursus irruperunt in ditionem Principis Moscovitarum; cui multum facessunt negotii: Rex autem Sueciæ quoddam ejus oppidum obsidet in Livonia. Scribunt ex Anglia, Comitem Desmond Hibernum, qui ob religionem per aliquot annos detentus fuit in carcere, eo effracto, evasisse, et magnos tumultus excitasse in Hibernia. Dicunt Anglos, qui erant in Hibernia, ausos cum

eo

eo congredi, fuisse cæsos, et in eo conflictu multos ex nobilitate periisse; inter quos nominantur duo filii Baronis ab Hunsdon, qui est Reginæ propinquus. Regina revocavit in Angliam Morganum tribunum, qui Principi Arausiensi toto hoc bello militavit. Reverso in Angliam cum sex cohortibus militum, numerata sunt stipendia quæ ipsi à Principe debebantur. Postea jussus est quantâ posset celeritate in Hiberniam proficisci. Cecilius per duos fere menses graviter ægrotaverat quum scriptæ fuerunt literæ; nec tamen adhuc convaluerat. Conventus ordinum, seu parlamentum, (ut nos loquimur), indictum ad quartum diem hujus mensis, rejectum est in decimum nonum Aprilis. Studia Geometriæ et linguæ Græcæ, de quibus scribis, sunt haud dubie pulcherrima; sed metuo ne tibi desit tempus ad ea persequenda. Aristoteles est quidem præstantissimus author; sed plerumque est adeo brevis et acutus, ut etiam iis qui totam vitam in lectione ejus contriverunt videatur obscurus. Plutarchus et alii ejusmodi scriptores videntur magis convenire tuis rationibus: nam cum parum tibi supersit temporis ad studia, nihil debes tribuere iis quæ non potes persequi, ne tantundem decedat iis quæ sunt maxime necessaria. Nihil quidem est tam difficile, quo non penetrare posset illa divina vis ingenii tui, si tibi in literis senescere concederetur: verum tu alio avocaberis statim ubi in patriam redieris. Vereor ne hæc sæpius repetendo tibi sim molestus; in qua re peto ut mihi ignoscas, nec etiam quod soleam liberius tecum jocari ægre feras. Id facio, ut animum fessum et patriæ calamitatibus oppressum recream, sola enim mihi superest recordatio nostræ amicitiæ quæ me oblectet. Ago tibi maximas gratias, quod de effigie tua tam liberaliter promittas. Ego tibi omnia fausta et felicia precor.

Viennæ, 19. die Februarii 1574.

XVI.

XVI.

JAm ex meo erga te amore percipio ſuaviſſimos illos fructus quos ſemper expetivi et ſperavi, cum videam eos, quos ob virtutem plurimi facio, te effuſiſſime amare et laudare: literæ enim, quas jam ab ipſis accepi, vehementiſſimum ipſorum erga te amorem ſpirant, et nihil fere aliud quam tuas laudes continent: ad quas Dominus Comes adjicit, ſe tantum fructûs et voluptatis ex tua conſuetudine percipere, ut ſi quid votis perfici poſſe ſperaret, nihil magis optaret quam rationes veſtras ferre, ut una perpetuo viveretis. Ego vero eo in me effero, quod fuerim conciliator iſtius veſtræ amicitiæ, aut ſaltem ejus contrahendæ vobis occaſionem præbuerim: nam morum ſimilitudo, et idem in vobis virtutis ſtudium, eam conciliavit. Quamdiu, mi dulciſſime fili, à teipſo non diſceſſeris, nuſquam deerunt boni viri qui te ament, et erga te ſint officioſi: et ſi in prima adoleſcentia tua virtus tam ſuaves fructus tibi parit, quid credis futurum poſt viginti aut triginta annos, ſi illud præclarum tuum inſtitutum conſtanter urſeris? Quæ de Walſynghamo ſcripſiſti ſunt mihi gratiſſima. Gaudeo bonum et præſtantem virum, et cujus benevolentiam erga me ſum expertus, tuliſſe aliquod præmium laborum quos pro republica ſuſtinuit; et laudo Reginæ prudentiam: nam ſibi et ſuo regno nullâ ratione melius conſulere poteſt, quam ſi tales viros ad reipublicæ adminiſtrationem adhibeat. Scripſi in poſtremis meis literis quædam de rebus Hibernicis, quæ cuperem non eſſe vera. Rationes Hiſpanorum magis ac magis turbantur in inferiore Germania: nam ab ipſis etiam Gallis videntur ſibi, poſt acceptam illam cladem, aliquid metuere: jam enim urbes,

urbes, quæ ad Galliam ſpectant, validioribus præſidiis quam antea firmant. Quam ridiculum autem eſt quod ingenio ſuperati ſint ab Hollandis, quorum ſimplicitas ab omnibus ridetur, imo quorum ſtupiditas olim in proverbium abiverit? Auris Batava! Scribam ſtratagema: Duas naves ita inſtruxerunt iis rebus, quæ conſpici poterant, ut viderentur Hiſpanicæ. Sic inſtructæ, tanquam fugientes hoſtem, quantâ potuerunt contentione navigarunt ad eum locum in quo erat ſtatio claſſis Hiſpanicæ, ejus auxilium quanto poterant clamore implorantes. Perſequebantur eas aliquot naves Gueuſiorum, diſplodentes multa majora tormenta, perinde ac ſi cupidi fuiſſent eas ita conquaſſandi ut mergerentur: verum ſuis tormentis nullos globos inſeruerant. Hiſpani exiſtimantes ſibi fore ignominioſum, et ſocios judicaturos parum in ipſis eſſe præſidii repoſitum, ſi paterentur naves iſtas in ſuo conſpectu ab adverſariis opprimi, eduxerunt claſſem ex portu, ut iis, quos ſuos exiſtimabant, ſuppetias ferrent. Facto pugnæ initio, duæ illæ naves fugitivæ quæ ſe ad claſſem Hiſpanicam receperant, depoſitâ larvâ, cœperunt uno impetu plura tormenta diſplodere, et multum damni intulerunt Hiſpanis; qui, inopinato caſu territi, de fuga potius, quam de pugna, cogitaverunt. Captæ ſunt undecim ipſorum naves, et abductæ Fliſſingiam. Quot merſæ fuerint, nondum ſcio. Julianus Romerus, miles veteranus, fuit ductor claſſis Hiſpanicæ; qui, cum videret navem qua vehebatur circumventam ab hoſtibus, de ea deſiliit, et in vicinam inſulam enatavit. Sunt qui ſcribunt, Midelburgum feciſſe deditionem; alii dicunt, poſſe adhuc aliquot dies ſubſiſtere; Hiſpanoſque reſtaurare claſſem, ut illi ſubveniant. Scripſit ad me Genevâ Perrotus, ad quem tibi dederam literas. Dolet ſibi non eſſe datam occaſionem tibi gratificandi. Quantum poſſum ex ejus literis

teris conjicere, ibi ſperant pacem in Gallia coalituram. Rex Poloniæ venit Cracoviam, 18. die hujus menſis. Inauguratus eſt 21. Præſtitit jusjurandum quod ſoliti ſunt præſtare reges qui ante ipſum regnarunt; cui hoc tantum fuit additum: "Pacem et tranquillitatem inter "diſſidentes de religione tuebor et manu tenebo." Noſtri Galli non valde prædicant Polonorum humanitatem. Interrogabam nuper quendam hominem facetum, qui inde ægrotus huc venit, quare in tantum periculum ſe conjeciſſet. Reſpondit, ſe metuiſſe ne ibi moreretur, quoniam exiſtimet nullam inde eſſe viam ad cœlum, quæ ſit trita. Ego non ita contemno tuum Cambrum, ut tu ſcribis; nam, niſi eſſet in ipſo aliquid ingenii, non poſſet tam inſigniter ineptire. Non tantum autem nolo tibi, aut tuo Griffinio, eripere veſtrum Brennum, quamvis dicatur fuiſſe meus popularis, Senones enim aſcribuntur Burgundiæ; ſed etiam vobis permitto ex hiſtoria Gallica aliquot ejuſmodi latrones deligere, quos in gentem veſtram adoptetis: vel potius deligite ex iis qui ſunt ſuperſtites, et ut ſuccubis utamini ad inſitionem in veſtra Cambria, ubi exiſtimo eſſe multas infrugiferas arbores. Puto ſupereſſe adhuc aliquos in Germania ex poſteritate iſtius veſtri Brenni: nam ſcribunt nuper ſpoliatum fuiſſe ſummum templum Colonienſe, quod fuit totius Germaniæ, ſicut Delphicum Græciæ, opulentiſſimum. Sunt qui æſtiment ea quæ inde fuerunt ablata centies mille aureis. De tuo Brenno tamen tibi etiam tranſigendum erit cum Domino Jacobo, cum is ſit Burgundus. Tu tandem ad literas tuas attexis elegantem calumniam, vel potius caudam vulpinam, ut me, vel Cambrum, vel forte utrumque, committas cum meo Delio, cum ex literis meis colligis, ipſum ſcribere omnes Saxones eſſe latrones aut piratas: nam ſcribit de iis Saxonibus tantum qui fuerunt Anglorum progenitores: milites e-

nim Saxonici noſtrâ ætate ſunt magis religioſi; et putant ſibi obtemperandum eſſe Chriſto, dicenti, "Alter alterius onera portate", præſertim cum incidunt in mercatores quibus loculi ſunt graves pecuniâ. Poſtea inſultas Hubertis, cum tamen nullos habueris tui amantiores in Germania. Cave tibi ab illo Huberto, venatorum divo tutelari, quem Eraſmus dicit eſſe terribilem, eo quod ſit armatus furore, quem immittit ſui numinis contemptoribus. Salutavi Dn. Vulcobium et Bouchetollum tuo nomine. Sunt tui amantiſſimi, et te reſalutant, ac expetunt tuum ad nos reditum; in qua re ſi ipſis obſecutus fueris, tu me perpetuo beabis. Rogo ut Illuſtrem Dominum Comitem, et reliquos amicos, ſalutes officioſe meo nomine. Reſcribam ipſis ubi aliquid nactus fuero otii: nam jam plane obruor, et tamen non poſſum facere finem nugandi tecum. Jam hic habeo tabellarium ex noſtra aula, per quem reſcribendum eſt mihi ad plures. Jam etiam cogor mittere Francofurtum tot epiſtolas ad amicos, qui ex variis locis eo venient, ut mihi neceſſe ſit noctes aliquot inſomnes tranſigere. Bene vale,

Viennæ, 26. Febr. 1574.

XVII.

TU reverſus ad tuas Venetias, tanquam ex ſublimi loco deſpiciens, nobis inſultas; repetiſque illam veterem tuam cantilenam de tua negligentia, quam dicis injuſte à me fuiſſe accuſatam. Poſtea adjicis recriminationem, et rides bonos illos viros, Bartolum et Baldum, quos dicis deſcendiſſe ad commune Italorum ſepulchrum. Credo, quod non multis diebus poſtquam ita tibi placuiſti, acceperis à me literas, quæ iſtam tuam voluptatem pulchre deterſerunt. Cœperat

me

me pœnitere, quod paulo vehementius ad te scripsissem; sed jam magis pœnitet me quod pœnituerit. Brevi ex tuis literis intelligam, quam suaviter illæ meæ titillaverint. Jam dubito, an sint vera ea quæ de tumultibus excitatis in Hibernia, et clade à vestris accepta, ante aliquot dies ad te scripsi. Quidam enim jam scripsit Antuerpiâ, recèns solvisse ex Anglia quingentos milites, partim Gallos, partim Anglos, qui ad Principem Orangium navigaverint; seque fuisse in Anglia quum isti solverunt: quod non existimo vestros permissuros fuisse si Hibernico bello essent impliciti. Ad hæc accedit, quod nullis postea literis confirmata sunt ea quæ de illo bello huc perscripserant Hispani; quæ, si essent vera, haud dubie ea sæpius repetivissent; cum præsertim in iis suis rebus parum secundis vicinorum res adversas in censu suo ponant, et maxime eorum qui texuerunt hanc telam, cui sunt ita irretiti, ut dum conantur se explicare, magis ac magis se involvant. Inter ejusmodi autem textores vos Dominos Anglos primas partes obtinere, nec ipsi dubitant, nec quisquam alius: nec satis est vobis excitasse tantum incendium, nisi etiam, suppeditatis subinde fomentis, detis operam ne restinguatur. Si non habes commodum hospitium Patavii, poteris habere Mediolani in arce, si libet eo excurrere. Hispani irritati suâ clade, fortiter conviciantur Anglis, Germanis, et Gallis, tanquam authoribus suorum malorum; et dicunt omnes esse hæreticos, et dignos qui vivi comburantur. Fortuna autem tam crudeliter sævit in bonum illum Commendatorem, ut cum omnes hactenus crediderint eum multum valere sapientiâ, de ea re jam moveatur ei quæstio: eo quod coegerit confligere suos clamantes se esse impares hostibus, et mare esse procellis et tempestatibus turbatissimum. In hoc tamen nequaquam est suæ sapientiæ oblitus; quod se extra aleam et periculum pug-

næ collocaverit, et Neptunum ac bellatores furentes procul à terra ſpectaverit. Liber Anglicus, quem mihi hic oſtendiſti, converſus eſt in linguam Gallicam; cui etiam plura ſunt addita à quodam, qui conatur diluere crimina de quibus Regina Scotiæ accuſatur. Habui apud me per aliquot dies exemplar, quod puto miſſum fuiſſe ad Imperatorem; cujus bonam partem legi. Obſecro, mi chariſſime Sydnæe, et obteſtor te, per noſtram amicitiam, ut caveas ne quis ſciat te ejuſmodi ſcripta apud te habere. Valde doleo quod tecum non ſim plura de iis rebus locutus ante tuum diſceſſum; et ob eam cauſam, et alias eo pertinentes, ita cupio tecum colloqui, ut, ſi ullo modo mihi liceret, ad te ſtatim excurrerem. Crede mihi in Monarchiis virtutem ſæpius eſſe exitio iis qui ſunt illuſtri loco nati, quam vitium. Ejus rei non eſt opus petere exempla ex veteribus hiſtoriis, quot enim nobis ſuppeditare poteſt ſolius Henrici Octavi vita; et ut nihil apud te diſſimulem, veſtra gens his malis videtur fuiſſe maxime obnoxia; ſed nos eam palmam vobis jam eripuimus. Sed vereor, ne poſt non multos annos tales tragœdiæ apud vos in theatrum reducantur, cum ſint qui materiam ad eam rem præparent. Ego oro Deum, ut tua virtus tibi ac patriæ tuæ ſit ſalutaris. Sed de iis alias. Mihi eſt gratiſſimum quod pronunciationem tuam emendare conſtitueris: nam nihil aliud tibi defuit ad ſummam laudem et ſuavitatem præter hoc unum, et diligentiam in ſcribendo ad me. Ne moreris tuorum popularium judicia in ea re, ſed potius exterorum, quorum causâ Latinæ linguæ uſum tibi comparaſti: imo ego conſulo ubi in patriam redieris, ut adjungas tuis fratribus præceptorem externum, qui eos in literis inſtituat. Si interdum ad Dominum Vulcobium ſcriberes, recte faceres. Eſt tui amantiſſimus. Salutat te officioſe noſter Abbondius. Scripſit etiam nuper

nuper ad me Doct. Andreas Paulus, cujus nomine te antea salutavi, ut tibi denuo significarem, ipsum esse tui amantissimum, et cupidissimum tibi gratificandi. Jube saltem ut eos tuo nomine resalutem. Bene vale.

Viennæ, 5. Martii, 1574.

XVIII.

TU non satis attente legisti meas literas ad quas jam respondisti, cum existimes me ideo tam graviter tecum expostulasse, quia de tuo ad nos reditu dudum nullam in tuis literis mentionem feceras. Causa meæ expostulationis fuit prætermissum à te scribendi officium, ut tunc arbitrabar, nam nullas à te literas acceperam; sed tamen postea animadverti, id non accidisse tuâ culpâ; nam accepi tuas literas post discessum tabellarii, cui meæ erant traditæ. Quare me jam utcunque pœnitet, quod paulo durior erga te fuerim, cum præsertim non commoverim tibi bilem, ut sperabam me facturum. Sed quid est opus tam accuratâ excusatione; cum si tunc non peccasti, antea peccaveris, aut postea peccabis; et sic non potui non recte facere quum te accusavi. Video tibi tantum esse otii à tuis rebus, ut etiam aliena curare possis; et laudo quod de mea existimatione sis ita solicitus. Admones me officii, et scribis te mirari quod non respondeam ad literas eorum qui sunt mei amantissimi. An putas me non videre quo hæc spectent, aut tuas artes non intelligere? Quam tibi esset gratum, si tantum temporis scribendis ad alios literis impenderem, ut mihi deesset ad scribendum tibi: nam ita haberes occasionem discedendi à conventione quam inter nos iniimus, cujus forte te jam pœnitet, quia piget tam sæpe scribere. Verum ego te constrictum teneo, et dabo operam, ut,

velis,

velis, nolis, cogaris pacta observare, aut insignem tuæ existimationis jacturam apud communes nostros amicos facere. Gaudeo, quod contraxeris notitiam cum clarissimo Domino Doct. Zindelino, cujus eruditionem, prudentiam, et integritatem, omnes, quibus cum eo familiaritas intercessit, mirum in modum prædicant. Da igitur operam ut sæpe cum ipso sis, et ut ex ejus amicitia fructum percipias. Nullâ re magis formatur juvenum judicium quam consuetudine ejusmodi hominum, quorum judicium de variis rebus audire possunt. Quæ de Montmorancio scribis, antea non audivi; sed quo magis scelerata et flagitiosa sunt quæ inde adferuntur, eo facilius credo esse vera: nam existimo animos contaminatos illo immani facinore, cujus tu et ego fuimus spectatores, agitari furiis, et in suam ac aliorum perniciem impelli. Non est opus ipsis alio carnifice quam suis moribus, illi satis eos punient. Meministi quid tibi de iis rebus dixerem quum te à nobis discedentem deducerem. Ego sum adhuc in ea sententia, ac mihi videntur omnia eo inclinare. Quamdiu non mutabimus mores, eandem semper fortunam experiemur. Clamemus ad Deum, petentes cum propheta, "ut in die furoris sui recordetur misericordiæ "suæ." Jacta est alea, ut ait ille, nec incendium ob religionem excitatum in orbe Christiano aliâ re quam ejus ruinâ restingui poterit, cum nostri adversarii serio dent operam ne huic flammæ fomenta desint: quod tamen hactenus sine magno suo commodo fecerunt. Mi charissime Sydnæe, de nullis rebus libentius quam de his tecum colloquerer, aut etiam scriberem, nisi periculosum esset talia literis committere. Legi his diebus, vel potius noctibus, (nam interdiu non fuit otium), multa in vestro monacho Matthæo Paris, qui quamvis sæpenumero sit ineptus, tamen aliud agens pulchre depingit tyrannidem quam Pontifices Roman.

in Principes illius ætatis exercuerunt. Non minus ſuperbe vobis tunc imperabant, nec minus avare vos compilabant, quam ſi ab ipſis bello ſubacti fuiſſetis. Non miror ſplendorem urbium Italicarum, cum per tot annos converſa ſint eo ſpolia tot gentium quas Italorum impoſturæ, (vel potius ipſárum ſtultitia), jugum illud aulæ Romanæ ſubire coegerunt. Vellem me non egiſſe tecum de tua effigie, quoniam video eam rem tibi moleſtiam adferre. Saluta Dn. Bruſchettum meo nomine, cui ago gratias pro elegantiſſimis ſuis literis. Bene vale.

Viennæ, die Æquinoctii, 1574.

XIX.

TU accuſas me, quaſi parum amanter fecerim, quod de itinere meo in Poloniam nihil ad te ſcripſerim, et quidem merito, cum tantam fidem mihi habeas in concredendis tuis conſiliis, ut jamjam diſceſſurus, ſcripſeris te proficiſci Genuam, hoc eſt, quum nemo id ignoraret : imo in tuis literis oſtendis, te dubitaſſe, an de ea re ad me ſcriberes, et tamen mea plurimum intererat, illud prius ſcire, ne interea, dum tu abes, darem ad te literas, quas periculoſum eſſet in alienas manus devenire : quod ſane feci; nec ad te ſolum ejuſmodi literas dedi, ſed etiam ad Dominum Comitem Hanavienſem, et ad alios amicos quos habeo in ejus familia, eaſque incluſi faſciculo tibi inſcripto : quare non reddentur ipſis ante tuum reditum ; ſed ſane non bene mecum ageretur, ſi ab ignoto aliquo reſignarentur : quædam enim inſerui quæ non ab omnibus probarentur. Vide igitur quam bene conſulueris amico dum tua conſilia occultas. Metuiſti forte, ne occurrerem tibi in reditu, et te bene nummatum ſpoliarem.

Miror

Miror Cratonem ſcripſiſſe quæ dicis; cum nec apud ipſum, nec apud quenquam alium, ejus rei mentionem hic fecerim. An ex noſtra aula habeat neſcio: nam de ea re verbum nullum apud me unquam fecit, cum tamen frequens ſim apud ipſum. Deponam pudorem, et fiam ineptus, ne apud te, (ut loquitur poeta), occupem obſcuri ſpeciem vel diſſimulatoris, teque omni ſuſpicione liberabo. Scripſiſti ad me, (ſi recte memini), idque non ſemel repetiviſti, te omnino decreviſſe proficiſci in Poloniam ſub tempus Regiæ inaugurationis, cujus cupiebas eſſe ſpectator. Cum id animadverterem, ſcripſi in noſtram aulam, petiique ut mihi liceret Cracoviam excurrere, ubi quoſdam amicos me velle convenire dicebam. Hoc tamen ita mihi concedi petebam, ut eſſet in meo arbitrio id facere vel intermittere. Perfecerunt amici ut acciperem reſponſum ex animi mei ſententia, quod nulli mortali hactenus indicavi. Mi chariſſime Sydnæe, hæc omnia tui causâ inſtituebantur à me; nam ſi huc veniſſes, ut ſcribebas te venturum, conſtitueram te Cracoviam uſque comitari, etiamſi non ignorarem me id ſine periculo non facturum. Sed tamen faciebat meus erga te amor, ut pericula non magnopere curarem, modo tibi à me diſcedenti hoc officium forte poſtremum præſtarem. Sperabam enim me ibi conciliaturum tibi aliquot amicos, et credebam meam conſuetudinem in moleſto itinere tibi non fore ingratam. Vide quam ſim perfrictæ frontis qui audeam hæc ſcribere, quæ quidem, teſtor Deum, eſſe vera; ſed tamen nullam unquam eorum apud te mentionem feciſſem, niſi mihi occaſionem præbuiſſes. Niſi me fallit memoria, ſemel ad te ita ſcripſi: "Si hoc iter ſuſceperis, faciam ali-
"quid quod ſpero non fore tibi ingratum." Nolui autem hoc clarius explicare, vel conſilium meum magis patefacere, ne excitarem in te majorem cupidita-

tem suscipiendi illud iter, quod non parum habuisset incommodi ob hybernas tempestates, nec forte etiam caruisset periculo. Vellem sane te fuisse spectatorem ceremoniarum inaugurationis, ac etiam splendoris ac pomparum Polonicarum, quæ incredibiles fuisse dicuntur. Sed tamen hæc spectacula tibi magnis molestiis constitissent: quotquot enim exteri eo venerunt, non multum humanitatis sunt experti. Postquam intellexi res tuas non ferre, ut iter illud susciperes, ego ejus curam ita deposui, ut ne per somnium quidem mihi unquam postea in mentem venerit; nec cum quoquam, ut antea dixi, de eo sum loquutus. Vide quo me adegerit tua accusatio, et quas ineptias coegerit me effutire? quas tamen peto ut apud te contineas. Ego oro Deum Omnipotentem ut te in hoc tuo Genuensi itinere conservet; ac, rebus tuis feliciter peractis, incolumem te ad amicos reducat. Sed sane oportebit te perreptare montes satis asperos, nec ubique tibi videbuntur mores hominum suavissimi. Bene vale.

Viennæ, 18. Martii 1574.

XX.

QUamvis te forte adhuc detineant salebræ Ligusticæ, nolui tamen meam ad te scribendi consuetudinem intermittere, ut, velis, nolis, cogaris tandem fateri me esse diligentiorem te in scribendo. Sed metuo ne existimes me laborare eo morbo quo multi hoc tempore laborant, qui ex nulla alia re voluptatem capiunt quam ex scriptionibus: cui sane morbo me esse minime obnoxium, testes erunt plures mei amici, qui me sæpe tanquam cessatorem accusant. Verum nescio quo modo acciderit, ut tui amor animum meum ita

incantaverit, ut ad te unicum scribens voluptatem non parvam sentiam. Nolim tamen te id ita accipere, ut existimes illam voluptatem, quam ego percipio, esse mihi satis amplum præmium mei laboris, et propterea me immerito conqueri quando non rescribis; cum præsertim à tua virtute proveniat iste meus amor, qui mihi hanc voluptatem parit, quam propterea tibi acceptam ferre debeo. Ego vobis Aristotelicis subtilitates illas relinquam, et tecum crassiore Minervâ agam; ac fatebor me eam tibi voluptatem debere quam ex tuarum literarum lectione percipiam: quæ quo major est, eo impatientius fero ejus desiderium; nec potero me continere quin te graviter accusem, si patiaris me eâ diu carere. Mones me in tuis posterioribus literis, ne de aliena salute sim ita solicitus, ut meam negligam; te enim scire, non esse exiguum odium quo me plurimi pontificii prosequantur. Mi charissime Sydnæe, sum de tua salute solicitus, quia considero qui sint tui natales, quæ tua indoles, quanto studio ad virtutem feraris, et quos progressus in ea re jam feceris; et intelligo quantum respublica de te sperare debeat, si Deus volet te esse diu superstitem. De me vero longe est alia ratio; cum tenuitas ingenii et fortunæ, ac etiam ingravescens ætas, non patiantur me vel publice vel privatim multum prodesse, etiamsi mihi non desit voluntas. Quare minus metuo pericula, cum videam vitam meam nemini jam prodesse; morte autem me liberandum iis miseriis in quibus ego vivo. Quid enim tristius accidere potest homini, qui non sit ab humanitate alienus, quam esse spectatorem eorum scelerum quæ à decem aut duodecim annis in misera nostra Gallia et Belgio perpetrata sunt, et adhuc perpetrantur? Odium Pontificiorum, de quo scribis, non me conturbat. Vita et mors mea in manu Dei sunt; nec plus poterunt adversus me quam ipsis à Deo concessum fuerit.

rit. Verum ex ipsorum erga me odio eum percipiam fructum, quod minus dolebo, quam alias fuissem factúrus, quum ipsos pereuntes conspiciam. Vertit se Pontifex Romanus in omnes formas, ut ruentem suam tyrannidem fulciat; sed Deus ejus scelerata consilia in ejus exitium convertit. Non aliunde quam ab eo profecta sunt consilia de supplicio procerum in Belgio, de immani illa cæde tot innocentum hominum in Gallia, et de electione Polonica. Videamus autem quam utilitatem ea consilia consultoribus ipsis attulerint, ac principibus qui eorum consiliis obtemperaverunt. Albanus veniens in Belgium reperit omnia pacata, pontificiam religionem ubique restitutam, florentem opibus regionem; ex qua Princeps percipiebat maxima emolumenta. Cum persuasum haberet non posse ibi stabiliri Pontificiam religionem, nisi tollerentur omnes qui defectionem ab ea meditari videbantur, deduxit res in eum statum, ut Pontifex ac Hispani non sint extra periculum, ne totâ regione excidant. Gallia ante biennium, ut tu ipse vidisti, erat pacatissima; et incipiebat respirare ex tot cladibus, ac se utcunque colligere. Habebantur à nostris conciones in non multis locis; tota vero regni administratio erat penes pontificios. Nihilominus Pontifex, non contentus eâ re, fuit author preclari illius consilii, de tollendis miseris illis nostrorum reliquiis quæ ex tot bellis et injustis cædibus supererant. Interfectus est Amiralius, multique boni viri una cum ipso interierunt. Existimavit Pontifex se res suas in Gallia pulchre stabilivisse. Quid accidit? Bellum statim exarsit in variis locis Galliæ, ac in ipsius etiam Pontificis ditionem penetravit. Metuo autem ne longe adhuc graviora subsequantur: nec audeo quicquam sperare de pace, de qua nunc agitur. Pontifex perfecit suis artibus, ut Andegavensis præferretur Austriaco in comitiis Polonicis, quoniam exi-

ſtimavit eum fore rigidiorem Auſtriaco in aſſerenda religione Romana; metuebat enim ne Imperator ſuggereret filio leniora conſilia. Aſſequutus eſt regnum Andegavenſis; hoc eſt, ex non parva felicitate conjectus eſt in magnas miſerias. Pontifex autem amiſit talem ſuæ dignitatis aſſertorem in Gallia, qualem vix poſtea conſequetur. Vides igitur ſcelerata illa aulæ Romanæ conſilia longe alium eventum ſortiri quam ipſi ſperaverunt. Non tamen propterea deſiſtit ab excitandis ubique tumultibus. Quid tandem fiet? Dicam quod ſentio, et utinam ſim falſus vates. Iſtis bellis civilibus, quibus atteruntur vires principum Chriſtianorum, ſternitur via Turcis ad occupandam Italiam; cui ſi ſoli periculum illud immineret, forte minus eſſet dolendum, cum ſit officina in qua tantorum malorum cauſæ cuduntur: ſed verendum eſt, ne incendium illud intra ejus fines non contineat ſe, ſed vicinas etiam provincias corripiat ac depaſcatur. Bene vale.

Viennæ, 26. die Martii 1574. Petii à te aliquoties, ne meas literas cuivis oſtenderes, quod adhuc peto.

XXI.

VIde quam ſim tenax promiſſi, qui, nullis literis à te dudum acceptis, conſtanter tamen urgeo meum ſcribendi inſtitutum. Imo ſum in hac re ita religioſus, ut cum non potuerim ante octiduum mittere literas meas, quoniam Domino Vulcobio per occupationes ſcribere non licuit, eas tamen quas tunc ſcripſi jam mitto, ut tibi præcidam omnem occaſionem accuſandi me negligentiæ, vel te excuſandi. Credo plurimos ex noſtris Gallo-Polonis jam ad vos perveniſſe: non ſolum

lum enim disperſi ſunt per varia Germaniæ loca, ſed etiam extenderunt ſe ad vicinas gentes, ita ut nulli videantur apud ipſum regem manſuri; quamvis plurimi in animo prius habuerint aliquandiu manere; ſed Poloni inierunt optimam rationem remittendi eos in patriam. Multi hac faciunt iter. Imperator humaniter excepit Ducem Cenomanum et Marchionem Albovium, ejus patruelem. Albovius recta in Galliam contendit. Alter profectus eſt Venetias; inde, ut aiunt, ad Melitenſes iturus. Ferrarienſis hic diu fuit. Conjugium ejus cum Bavara nondum eſt certum: nam habet rivalem Regem Portugalliæ. Turcæ faceſſunt nobis multum negotii in Hungaria ſuis crebris excurſionibus, ſuis rapinis prætexunt munitionem extructam in Kalo à noſtris, dum hic eſſes, quam dicunt in ſuo ſolo eſſe extructam, et ſe propterea non quieturos donec diruatur. Nos autem non ſumus ſatis inſtructi ad vim repellendam; nec etiam audemus eos nimis irritare, interea dum agimus de prorogatione induciarum; in qua re videntur Turcæ ſe præbere difficiliores. De infelici noſtra Gallia nihil ſcribam, quia exiſtimo plura ad vos inde perſcribi, quam huc ad nos. In Belgio bellum magis ac magis accenditur. Arauſienſis dicitur nactus eſſe Midelburgi opimam prædam. Mondragonius, præfectus Midelburgenſis, miſſus ad Hiſpanos ut de permutatione quorundam captivorum cum ipſis ageret, promiſit ſe intra duos menſes ad Arauſienſem reverſurum; ſi id non impetraret, ſeque jurejurando ac obſidibus datis obſtrinxit. Verum ubi venit Antuerpiam, Commendator mandavit cuidam Jeſuitæ Hiſpano, quem "Padre Strigoſa" nominant, ut eum abſolveret à jurejurando, dicens, fidem non eſſe ſervandam hæreticis. Credo quod Gueuſii poſthac potius laqueis quam jurejurando conſtringent eos qui in ipſorum manus incident. Arauſienſis, rebus in Zelandia

landia constitutis, rediit in Holandiam cum quadraginta navibus. Quinquaginta aliæ navigantes in occidentem inciderunt ad fretum Caletense, in septem et viginti Hispanicas, Portugallenses, et Gallicas, ex quibus duas et viginti redegerunt in suam potestatem; reliquæ quinque sibi fugâ salutem quæsiverunt. Nondum hic scimus an Dux Christophorus Palatinus et Comes Ludovicus Nassovius Mosam cum copiis trajecerint. Habuerunt diu castra inter Aquisgranum et Trajectum superius, cujus partem eam quæ est in dextra ripa Mosæ occupaverant. Dicunt hic Hispani Sanctium Davilam ad septingentos ex eorum militibus cæcidisse. Instruitur apud Cantabros classis sexaginta navium, cum qua dicunt Joannem ab Austria navigaturum in Belgium; quod si fiet, habebit forte qui ipsum in itinere salutent. Sed vix credo regem Hispaniæ abducturum eum ex Italia, cui non parum imminet periculi à classe Turcica. Bizarrus scripsit ad Dn. Vulcobium nescio quid accidisse in Anglia, ob quod regina auxerit numerum custodum corporis; sed rem non explicat. Si quid habes de ea re, rogo ut id mihi significes. Bene vale, et amicos saluta.

Viennæ, Calend. April 1574.

XXII.

MEtui quum proficiscereris in Italiam, ne quid de moribus istius gentis in animum tuum paulatim irreperet, quod ejus candorem et puritatem si non plane commacularet, obscuriorem tamen nonnihil redderet. Sed quia promittebas te non transgressurum Apenninum, ac cito ad nos reversurum, putabam te animum purum, et ab omni labe immunem, ad nos referre posse; cum præsertim constituisses vivere apud Vene-

tos

tos et Patavinos, qui videntur adhuc nonnihil retinere de ſimplicitate illarum gentium à quibus ducunt originem. Sive enim Phryges, ſive Paphlagones, ſive Galli fuerunt eorum progenitores, ii antiquitus uſque ad ſtoliditatem ſimplices ab omnibus ſunt habiti. Jam vero cum ſis profectus ad Hetruſcos et Ligures, adeo vafros ac verſutos homines, ut reliqui Itali ſibi etiam ab iis metuant, vacillaret mea de te ſpes, niſi obſtaret meus erga te amor, qui tantus eſt, ut ſi ipſe meis oculis aliquid quod nollem à te commiſſum cernerem, non tamen permitteret me illud credere. Ne vero exiſtimes me temere aut maligne de Hetruſcis et Liguribus judicare, quas ejus rei cauſas habeam non pigebit indicare, ut diligentius tibi ab ipſis caveas. Nemo fere eſt qui ignoret Hetruſcos, et præſertim Florentinos, eſſe authores et inventores omnium malarum artium, quibus uſi plerique principes Chriſtiani, noſtrâ ac patrum noſtrorum memoriâ, lenes et bene conſtitutos Principatus in tyrannides converterunt; perſuaſi, nihil eſſe mutabilius voluntate populi, eoſque ſtulte facere qui ejus benevolentiæ fidunt. Satius itaque eſſe eum variis exactionum generibus, et aliis injuriis, ita opprimere, ut nihil ſuperſit ipſi virium ad repetendam libertatem; et cogatur, ut ille apud Plautum dicere: "Indigna digna habenda ſunt, herus quæ facit." Quod ſi audiviſſent alium Poetam dicentem: "Qui "ſceptra duro ſævus imperio regit, timet timentes, "metus in autorem redit," forte non incidiſſent in illas calamitates in quas multi eorum inciderunt: quamvis exiſtimem levia eſſe mala quæ hactenus ſunt perpeſſi, ſi conferantur ad ea quæ poſtea ſequentur. Quanto vero ager Liguſticus eſt aſperior et aridior Hetruſco, tanto mihi videntur ipſi Ligures Hetruſcis acutiores et ſolertiores. Hetruſci enim id tantum agunt, ut, ſuggerendo principibus perverſa conſilia, ſeſe

in

in ipſorum familiaritatem inſinuent; quod quandocunque conſequuntur, non fit ſine multorum odio, et non parvo ipſorum periculo. Ligures autem ſunt longe cautiores, ac majora præmia cum minore periculo ſectantur: nam ſcopus in quem collimant, non eſt gratia aut benevolentia principum, ſed ipſi principatus, ad quos plures ex ipſis noſtrâ ætate perveniſſe videmus. At quibus artibus? Fænore et Piraticâ. Dum enim noſtri principes ſtultis odiis inter ſe certant, ac ignava bella gerunt, deque iis potius conſulunt fœneratores quam rei militaris peritos; fœneratores ſuis occaſionibus utentes, pro pecunia quam ipſis locant, iniquiſſimum fœnus exigunt, eorumque vectigalia pro locata pecunia pignori accipiunt, parvoque redimunt, ac tam acerbe exigunt, ut plerumque fructus, quos inde percipiunt, in duobus aut tribus annis ſortem ſuperent, ſeu pecuniam quam principi mutuo dederunt. Ut autem intelligas quanto cum artificio tui Ligures fœnus exerceant, ſcire te opportet, Hiſpanos (qui ſibi videntur omnium hominum acutiſſimi) ita oppreſſos eſſe eorum fœnore, ut ſuo regi petenti ab ipſis ingentem pecuniæ ſummam, nuper reſponderint, ſe libenter daturos quicquid peteret, ſi modo iſtas Harpyias et hirudines Liguſticas ex Hiſpania pelleret. Qui vero piraticam exercent, tanto ab iſtis differunt quantum latrones à furibus. Extruunt triremes, et alia genera navium, ad piraticam exercendam; et, corruptis pecuniâ vel aliquo alio munere iis qui apud regem Hiſpaniæ valent authoritate, perficiunt, ut à rege annuo ſtipendio conducantur, eâ conditione, ut in bello navent ei operam adverſus hoſtes, in pace vero tutentur litora Italiæ, Hiſpaniæ, Siciliæ, Sardiniæ, et Balearum adverſus piratas. Quomodo autem hæc præſtant? Primum paciſcuntur cum Turcis et Afris eandem artem quam ipſi profitentibus, ne ſibi in mari occurrant, aut ſe

mutuo impediant; ſed dum iſti noſtri excurrunt in Africam, aut Græciam, prædandi causâ, illi alteri litora Italiæ, Hiſpaniæ, et Inſularum maris Tyrrheni, diripiunt. In bello vero nihil eſt ipſis ignavius. Si quid ipſis mandetur quod periculi aliquid adjunctum habeat, tergiverſantur, ac ſe excuſant. Si non admittuntur eorum excuſationes, cunctantur ſaltem, et quaſcunque poſſunt moræ cauſas nectunt. Præfectos autem claſſium ſemper dehortantur à conflictu; et tamen conſilia pacis, quibuſcunque modis poſſunt, conturbant, ut diutius fruantur opimis illis ſuis ſtipendiis ſine periculo; nam quæ dantur ipſis in pace ſunt longe tenuiora. Quod ſi in præfecto claſſis tantum ſit animi aut conſilii, ut non patiatur ſe ab iſtis decipi, ſed aggrediatur hoſtem quandocunque rei bene gerendæ ſeſe offert occaſio, tum demum videres iſtos trepidantes, et ſe aut pugnæ ſubducentes, aut omnium ignaviſſime pugnantes: quod in illa nobili pugna ad Echinadas ſuo magno malo didicerunt eſſe nimis verum Melitenſes, qui alacriter in hoſtem invecti, ſunt ab iſtis turpiſſime deſerti, et hoſtibus trucidandi relicti. Vide igitur ad quos homines deveneris. Nihil ergo ab illis gentibus unquam prodiit, quod probes: Nequaquam hoc dico, nam maxime probo, quod à centum annis dederunt nobis tres aut quatuor Pontifices Romanos, qui ſuâ inſanâ ambitione Pontificatum Romanum ita exoſum reddiderunt, ut ad eum evertendum Luthero viam ſtraviſſe videantur: in qua re ſtrenuam etiam operam navavit bonus ille Alexander Lucretiæ pater, quod nolui reticere, ne Hiſpanos ſuâ laude et gloriâ defraudarem, idque odio gentis feciſſe forte tibi viderer. Perpende igitur quantum tibi periculi immineat à talium hominum conſortio, imo à tota Italia, ubi cum diutius hæreas, quam promiſeris, dicerem te ejus illecebris captum, niſi metuerem ne tibi bilem denuo moveam, et

me duriter accipias, ficut antea fecifti. Hoc tamen adjiciam difficilimum effe induto candidâ vefte diu ita verfari in carbonaria, ut vefti de fuo candore nihil depereat; nec poffumus diu ambulare in fole, quin nonnihil ab eo tingamur. Bene vale, et amicos faluta.

Viennæ, 9. die Aprilis 1574.

XXIII.

NOn credo animum tuum potuiffe tam fubito ita imbui moribus illarum gentium ad quas peregrinatus es, ut hominis, qui te magis quam feipfum amat, memoriam prorfus abjeceris, et invideas illi voluptatem quam fentiet maximam, ubi audiet te incolumem Patavium ad homines tui amantiffimos rediiffe. Cum tamen de tuo reditu nihil fcribas, tu nonnullam occafionem aliquid tale de te fufpicandi mihi præberes, fi id permitteret tui amor, qui in me imperium obtinet. Sed fi forte id contingeret, non converterem meam vim in Hetrufcos, aut Ligures, apud quos mihi effet natum hoc malum; fed ipfos Anglos recta aggrederer, omniaque mea fpicula in ipfos converterem: et quia forte nihil haberem quod in te reprehenderem, præter inconftantiam in amicitia, rimarer et corraderem, undecunque poffem, quicquid veftræ gentis exiftimationem lædere, aut minuere, poffe putarem; et ita animum meum vindictæ dulcedine explerem. Nihil tamen temere tentabo; fed imperabo meo dolori, quoufque aliquid certius de tua voluntate erga me habuero: tunc enim ex re confilium capiam. Sed jam rixas omittamus. Si fcirem meas admonitiones aliquid ponderis apud te habituras, monerem te, ficut antea feci, ne attingas ea loca quæ Hifpanico imperio fubfunt:

nam

nam huc a pluribus ſcribitur mitti quotidie ex Anglia militem, et alia belli ſubſidia Hiſpanorum adverſariis, ita ut nemo dubitet, quin Hiſpani ſint infenſo erga vos animo: imo ipſa Genua eſt ita addicta Hiſpanis, ut neſciam quam tibi ſit tutum ibi diutius verſari. Sed forte delectaris aſpectu navalis apparatûs, qui ibi fieri ſolet, vel ſonitu catenarum quibus revincti ſunt miſeri remiges, vel te detinet cupiditas conſpiciendi Johannem ab Auſtria redeuntem in Hiſpaniam, ubi vereor ne pro præmio rerum pro republica feliciter geſtarum, invidiam referat. Duo enim illi filii naturales Regis Hiſpaniæ tanquam ex inferis recens excitati, neſcio quid tale innuere videntur: quos haud dubie amplificabit Rex quantum in ſe erit, ut huic non deſint potentes æmuli. Quàm pulchre omnia inſtruuntur ad agendam in Hiſpania poſt mortem Regis talem tragœdiam, qualem his annis in Gallia egimus? Imo ipſi hiſtriones ætate fervidi, forte nolent tamdiu expectare. In Gallia jam matureſcunt fructus ſementis factæ quum ibi eſſemus; quos (ut ſpero) demetent cum lachrymis ii qui exultabant quum ſementem ipſam facerent. Infelix Rex, perverſis quorundam conſiliis, eo eſt tandem perductus, ut non ſolum ſit ipſi metuendum ab iis quos affecit injuriâ, ſed etiam ab iis in quos plurima contulit beneficia. Video omnia hæc eo modo prorſus evenire, quo à me prædicta fuerunt cuidam meo amico, in prolixiore illa epiſtola quam legiſti, in qua diſſerebam de itinere Regis Poloniæ. Sed nondum eſt malorum finis: imo res ſunt eo redactæ, ut impoſſibile ſit, quin adhuc ſequatur major mutatio; et, ut ille apud Tacitum dicebat, forte in urbem referentur cineres Pompeii. Etiamſi ſciam has noſtras calamitates eſſe præclarum exemplum divinæ juſtitiæ, habereque omnes bonos in quo Deum glorificent, qui voluit palam oſtendere ſe eſſe juſtum vindi-

cem ſanguinis innocentis, tantâ copiâ, tam ſcelerate effuſi; fateor tamen me eſſe hominem, et ita affici erga patriam, ut ipſius naturæ imperio ingemiſcam ad tantas ejus calamitates, quibus innocentes ſimul cum nocentibus involvuntur. Oro itaque Deum, qui non ſolum eſt juſtus, ſed etiam miſericors, ut, ubi iſtorum malorum authores caſtigaverit, miſereatur eorum qui ſe iſtis ſceleribus non contaminaverunt. Ego omnia fauſta et felicia tibi precor, et peto ne amicorum memoriam tam cito abjicias.

Viennæ, 10. April. 1574.

XXIV.

VIde meam pertinaciam in te accuſando: nam credo te ſatis intelligere, hanc meam in ſcribendo diligentiam nihil aliud eſſe quàm tuæ negligentiæ accuſationem. Licet enim ante biduum ſatis minaciter ad te ſcripſerim, nolui tamen noſtrum Wakerum ſine meis ad te literis dimittere. Non puto eſſe neceſſe ut eum tibi commendem, cum non ſolum tibi ſit nota ejus virtus et eruditio, ſed etiam quod erga te officioſus fuerit; et, quod multo majus eſt, te vehementer amet ac colat, et fiet cupidiſſimus tibi inſerviendi ac gratificandi. Itaque non dubito, quin omnem humanitatem ſis ei exhibiturus, cum ſoleas eſſe humaniſſimus erga omnes, præterquam erga me, quem literarum tuarum deſiderium mirifice torquet. Indicabit tibi quis ſit noſtræ aulæ ſtatus, qui fere idem eſt qui fuit quum hic eſſes. Turcæ nobis vicini per aliquot dies magis abſtinuerunt ab incurſionibus quam antea; ſed tamen audimus eos convenire magno numero, non procul à Strigonio: quæ res nobis non parvam ſolicitudinem injicit. Noſtris militibus præſidiariis ſunt nuper ſo-

luta

luta ſtipendia; ſed neſcio quis excogitavit novum genus Aſtronomiæ, quam ipſi artibus liberalibus nequaquam annumerandum eſſe putant: reductus eſt enim in uſum annus Romuleus; hoc eſt, ut decem menſium ſtipendium habeatur pro annuo. Hujuſmodi ſubtilitates nequaquam placent militibus, et propterea multi petunt dimiſſionem; nonnulli etiam, eâ non petitâ, diſcedunt ex præſidiis. Qui vero ita diſcedunt, conveniunt quodam in loco ad Tibiſcum, qui vicinus eſt ditionibus Imperatoris, Tranſylvani, et Turcarum; quare metuitur, ne quid moliantur quod nobis malum aliquod attrahat. Si in noſtras ditiones irruperint, damnum eſt nobis certiſſimum. Si in Tranſylvani, vel Turcarum, ejus rei culpa in nos haud dubie conjiceretur; et captarent occaſionem Turcæ nos vexandi ulciſcendarum injuriarum pretextu. Hiſpani cœperunt de ſuis rebus magnificentius loqui quam antea, poſtquam amiſerunt Zelandiam; interea tamen Gueuſii ipſis eripuerunt opidum Sevenbergen, quod abeſt octo miliaribus tantum ab Antuerpia, et jam munitur ab ipſis: copiæ autem Chriſtophori Palatini et Ludovici Naſſavii ipſorum agros devaſtant. Verum tanta eſt in ipſis humanitas, ut non ſolum hæc ferant, ſed etiam ne videantur ea improbare, idem faciunt quod hoſtes, imo majore, ut audio, damno quam ipſi, ſuos ſubditos afficiunt. Interea neſcio quid deblaterant de ingenti claſſe quæ in Hiſpania inſtruitur; cum qua dicunt ſe non id acturos, ut urbes Zelandiæ et Hollandiæ recuperent, ſed ut ulciſcantur earum infidelitatem, ſe rupturos omnes aggeres ut à mari abſorbeantur. Adducent autem militem Hiſpanicum, Italicum, Helveticum, et Germanicum, tanto numero, ut non ſolum ſint caſtigaturi ſuos rebelles, ſed etiam vicinas gentes, quæ ipſis bellum iſtud conflaverunt. Sed vos Anglos omnium primos aggredientur, tanquam præcipuos authores iſtorum malo-

rum,

rum. Quare vide ne desis patriæ tuæ in tam gravi periculo. Non tamen consulo, ut nimium properes: nam, ut spero, non obsidebunt hoc vere Londinum; videntur nam valde lente festinare. Quoniam sunt coacti evocare militem quem habuerunt in Hollandia, ut eum opponerent copiis hostilibus, quæ conantur Mosam trajicere. Princeps Arausiensis duxit copias in Hollandiam; cum quibus fama est, eum obsidere Amsterdamum constituisse. Faciant quicquid volent Hispani; aut amittent Belgium, aut cogentur hoc bellum transactione finire; cujus primum caput erit, ut ipsi omnes ex Belgio discedant. Quæ res erit ipsis valde acerba. Repererunt enim quum primum eo venerunt nidum valde tepidum, ex quo non putabant se facile deturbari posse. Obsecro, si nondum id præstitisti quód mihi promisisti, de emendanda tua pronunciatione, ut id tandem præstes: id enim mihi videtur maxime necessarium, et tamen ést facillimum. Bene et feliciter vale.

Viennæ, 18. die April. 1574.

XXV.

CRedo te invidisse mihi voluptatem, quam sciebas me summam percepturum statim ubi scirem te Patavium, aut Venetias, incolumem ex Liguria rediisse: saltem dedisti operam, ut ejus suavitatem amaro succo tuarum accusationum temperares. Licet autem non potueris efficere, quin ob tuam incolumitatem summopere gaudeam; volo tamen tibi referre gratiam pro ista tua erga me voluntate. Valde prædicas tuam industriam, in cavendo ne perirent literæ quas ad te scriberem interea dum abfuturus eras; et si iis adjungerentur aliquæ ad D. Comitem, aut ad alios, ut iis statim

statim redderentur. At, mi suavissime et cautissime Sidnææ, in eo non fuisti satis cautus, quod non cavisti ut fasciculos à me missos, qui plures epistolas continere viderentur, solveret is, cui tuarum rerum curam commiseras: nam scis me nunquam misisse ad te literas aliis reddendas, quin eas convolverim in fasciculum tibi inscriptum. Valde autem hoc est elegans, quod scribis me satis ostendisse quam non bene de te sentirem, et quam diffiderem te facturum amici officium in reddendis literis, cum ea de re ad Monavium scripserim. Ita didicisti Florentiæ argutari, aut in amicos acerbus esse. Primum tibi prædico, quod non impune feres hanc tantam erga me acerbitatem. Ad 'ene in Liguriam de ea re scripsissem? Ad Domi-ꝗm Comitem, aut ad aliquem ex ejus familia, scribere non potui, quia non habui per quem ad eos literas mitterem: nam non tantum mihi fumo apud Dominum Vulcobium, ut ad alium quenquam præterquam ad te literas curandas ei tradam, ne ejus humanitate abuti videar: Literas vero ad Monavium soleo tradere Cratoni Cæsaris medico, veteri meo amico. Petii ab eo, ut Dom. Welspergero significaret me ad ipsos scripsisse, et esse literas inclusas fasciculo tibi inscripto. Videorne tibi in ea re tam graviter peccasse? cum præsertim ignorarem quando esses reversurus, et interesset Domini Jacobi mature accipere meas literas, in quibus de quadam pecunia ipsi debita scribebam: imo mora, quæ intervenit, fuit in causa, ut non potuerim his ejus nomine compellare Baronem à Praga. Negligentiam tuam cogit me interdùm accusare amor et voluptas quam percipio ex lectione tuarum literarum; quas si denas quotidie ad me mitteres, non tamen expleres meam cupiditatem. Accipio tuam excusationem de Gallico consilio in suscipiendo Ligustico itinere; sed tamen id debueras scribere. Utinam eodem

consilio

consilio utereris in præcipitando tuo ad nos reditu. Nolo tibi jam objicere, quod potueris me beare, si ex itinere tantum scripsisses, "Vivo, et valeo, Florentiæ, vel "Genuæ;" nam non fuit opus prolixiore epistolâ. Ante quinque aut sex dies scripsi ad te et ad Dominum Comitem per Wakerum, quem hic novisti. Cum essem obsignaturus meas ad Dominum Comitem literas, venit ad me quidam meus amicus, non parvæ authoritatis in aula, qui dixit mihi Imperatorem vetuisse, ne amplius hic haberentur conciones ab iis qui puriorem religionem profitentur; quam rem ego statim inserui meis literis ad Dn. Comitem. Postea autem diligentius inquisivi, et reperi rem se ita habere. Soliti sunt nostri convenire ad sua sacra et conciones, in ædibus Domini Rokandorff, Austriæ Mareschalci. Quando autem hinc abfuit, convenerunt in ædibus Domini ab Eyzing, qui est inferioris Austriæ præfectus, seu locumtenens Imperatoris, ut loquuntur. E regione ædium ipsius habitat legatus Hispanicus, ita ut potuerit ex sua habitatione concionantis et canentium vocem exaudire: quare sæpius petiit ab Imperatore, et quidem (ut audio) regis sui nomine, ne pateretur eo in loco nostros habere suos conventus: quod tamen hactenus non potuerat impetrare. Die autem solis quæ fuit 18. hujus mensis, nescio quæ nova religio incessit Imperatorem quæ reddidit Hispanum voti compotem: nam Imperator interdixit Domino ab Eyzing, ne pateretur amplius in suis ædibus haberi conciones; qui cum primo non obtemperaret, repetitum est interdictum cum interminatione, quod significavit iis qui in ipsius ædes usitato more venerant. Id ubi audiverunt, quidam ex proceribus, qui una cum aliis advenerant ut interessent concioni, illico profecti sunt ad Imperatorem, ab eoque sciscitati sunt causam ob quam interdixisset, ne religionis causâ convenirent. Imperator respondit, se nequaquam interdixisse. Cum

subjecissent

ſubjeciſſent quod à Domino ab Eyzing audiverant, Imperator dixit, ſe tantum interdixiſſe ne in illis ædibus convenirent. Ergo dixit Dominus ab Entzeſdorff, licet nobis in aliis ædibus convenire? Cum Imperator reſpondiſſet licere, is duxit concionatorem in ſuas ædes, in quibus bis eo die habita eſt concio. Habes rem ut geſta eſt; quam peto ut Domino Comiti ſignifices, ut liberetur ab errore in quem eum induxi meâ nimiâ feſtinatione. Audio iſtic clam divendi libellum linguâ Italicâ ſcriptum, cujus inſcriptio eſt "Stratagema Regis Galliæ." Si ejus libelli unum aut alterum exemplar nanciſci poteris, facies Domino Vulcobio et mihi rem gratiſſimam, ſi illud ad nos miſeris; curabis autem complicari parvâ formâ, et ei trades, qui ſolet tuas literas procurare. De tua imagine ſtatues ut voles. Si ſperares te brevi ad nos venturum, non neceſſe eſſet eam prius mittere; ſed tu valde lente in ea re feſtinas. Ego tibi omnia fauſta et felicia precor, et tibi gratulor incolumem reditum ad amicos: nam mea ira deferbuit interea dum hæc ſcribo. Saluta meo nomine Dominum Bruſquettum, et alios tuos domeſticos.

Viennæ, 23. die April. 1574.

XXVI.

EGO diem illum, quo te primum vidi, felicem mihi illuxiſſe, quamdiu vivam, judicabo; quoniam illa indoles virtutis, quæ in vultu, ſermone, ac in omni tua actione euceſcit, mihi ſtatim injecit maximam cupiditatem contrahendi tecum amicitiam. Cujus rei præter expectationem meam ſeſe commodiſſima mihi obtulit occaſio; quum neſcio, quo tuo, ſane optimo meo fato, huc appuliſti: ubi id tuâ humanitate facile

ſum conſequutus, quod magno ſtudio ambire conſtitueram. Factus tibi familiarior deprehendi in te tantam naturæ inclinationem ad virtutem, et tam ardens eam adipiſcendi ſtudium, ut ab eo tempore me ita felicem tuâ amicitiâ judicaverim, ut in tantis patriæ calamitatibus ex nulla re, præterquam ex tui recordatione, voluptatem capere potuerim: quam ſi unquam antea, maximam certe percepi ex literis quas heri à te accepi: quæ nihil aliud continent, quam teſtificationem tuæ probitatis, humanitatis, eximiæ erga me benevolentiæ, et ſolicitudinis in meis miſeriis; quæ omnia mihi merito grata eſſe debent. Sed tamen magis me affecit excellens illa vis ingenii tui, et tam grave judicium de rebus maximis, ut antequam mihi eſſes notus, nunquam mihi quiſquam perſuaſiſſet, tantum prudentiæ in iſtam primam adoleſcentiam cadere. Non me perturbant, mi chariſſime Sydnæe, privatæ meæ calamitates, quæ ſi quando ingruant, eas ſatis forti animo perferre ſoleo; in publicis vero, et præſertim patriæ, ſum non abſimilis matri indulgenti, quæ vehementer dolet quando caſtigantur liberi, etiamſi ſciat id ipſos commeruiſſe. Nemo ignorat, nos ab aliquot annis tanto ſtudio in noſtram perniciem incubuiſſe, ut mirum ſit nos dudum non periiſſe: quod ego Dei clementiæ et benignitati adſcribo, qui pœnas quibus eramus digni tamdiu diſtulit, ut nobis tempus ad reſipiſcendum concederet. Sed jam res eo devenerunt, ut mihi præ foribus eſſe videantur pœnæ quibus digni ſunt tantorum ſcelerum authores; à quibus Deus jam repoſcit innocentem ſanguinem tam crudeliter effuſum. Erexerat nos nonnihil ſucceſſus Arauſienſis adverſus Hiſpanos; ſed infelix illa pugna, in qua ſunt profligatæ copiæ Chriſtophori Palatini et Ludovici Naſſovii, noſtras ſpes rurſus evertit. Si verum eſt Chriſtophorum Palatinum occubuiſſe, ut hic dicunt Hiſpani, qui ſoli de ea

re

re literas acceperunt, quantum dolorem ex ea re sentiet sanctissimus ille senex ejus parens? qui nullam aliam ob causam passus erat eum se objicere illis periculis, quam ob studium propagandæ veræ religionis, et subveniendi iis qui ab Hispanis injuste opprimuntur. De Italia tu recte judicas. Quandocunque eâ potientur Turcæ, quicquid superest in ipsis antiquæ virtutis statim peribit. Ita reliquus orbis Christianus duplicem ex ejus ruina utilitatem percipiet. Superest ut tibi gratias agam, quod tam amanter et liberaliter mihi tua deferas, quibus confidenter uterer, si mihi aliunde non suppeteret quod satis esset. Ego ita didici contentus vivere parvo, ut sperem me non fore amicis gravem. Est tamen mihi gratissima ista voluntatis tuæ erga me significatio, eamque habeo pro beneficio. At, mi generose Sydnæe, illud unicum beneficium à te expeto, ut te salvum et incolumem mihi præstes; quod à Deo, qui solus id præstare potest, assidue posco: quamdiu enim eris salvus et incolumis, tamdiu mea omnia mihi esse salva judicabo. Non satis intelligo, cujus injustitiæ erga te me accuses, nisi forte existimas me Domino Comiti id suasisse quod tibi dissuasi, quod profecto non feci, imo monui eos non semel ut sibi caverent; et de ea re præcipue scripsi ad Dominum Welspergerum, quem sane miror in adeundis periculis esse jam tam facilem; cum in iis rebus sciam eum antea non solum fuisse cautum et prudentem, sed interdum etiam visum esse timidiorem. Etiamsi curatores Domini Comitis permiserint ipsis ut ea itinera susciperent, non tamen inde sequitur ipsis esse bene cautum. Itaque non desinam de ipsis esse solicitus, priusquam eos ad te rediisse scivero: quare peto à te, ut quæ de ipsis habebis ea ad me perscribas. Expecto cupide præstantes illos viros, tot necessitudinibus tibi conjunctos, quorum in tuis literis mentionem facis;

quibus utinam possim aliquid præstare quod tibi et ipsis sit gratum. Persuade ipsis, obsecro, ut me utantur tanquam homine cupidissimo tibi et ipsis gratificandi. Bene et feliciter vale, et amicos saluta.

Viennæ, Calend. Maii 1574.

XXVII.

CONquererer de brevitate tuarum literarum; nec ullam excusationem admitterem, nisi adeo mihi gratæ fuissent literæ quas ante octiduum à te accepi, ut quamvis eas sæpius relegerim, earum tamen lectione animum meum explere hactenus non potuerim. Eæ sane opportune mihi redditæ sunt, ad sublevandum ingentem meum dolorem; cujus nescio an unquam justiores causas habuerim. Ardet funesto bello infelix mea patria, et ruit alto à culmine; nec est quisquam qui ejus vicem doleat: imo omnes judicant, et quidem merito, nos esse dignos qui adhuc gravius plectamur. Hispani exultant ob victoriam quam nuper adepti sunt de Duce Christophoro Palatino, et Comite Ludovico Nassavio; et sperant se brevi profligaturos Arausiensem Principem: quod licet sciam, non fore ipsis tam facile quam existimant; clades tamen quam acceperunt ii, pro quorum successu vota faciebam, non potest non me plurimum conturbare. Porro, ut nihil mihi ad infelicitatem deesset, omnes fere ii cum quibus à viginti annis in Germania amicitiam colui, et suaviter vixi, imo quorum consuetudo effecit ut Germaniam pro patria haberem, omnes, inquam, uno tanquam turbine involuti, ac fortunæ impetu oppressi, mersi sunt in calamitates in quibus nec opis nec auxilii quicquam ipsis adferre possum. Imo vero ego metuo, ne aliqui credant malorum istorum culpam

 aliquam

aliquam in me reſidere : cum iis omnibus rebus prætexatur infelix illa contentio de cœna Domini. Sed tamen hæc mala non aliunde originem habent quam ab arrogantia et ambitione Theologorum ; quos ſi quis bonus vir ad modeſtiam revocare conetur, aut ſui officii eos placide admoneat, aut omnibus ipſorum decretis non ſubſcribat, ſtatim implacabile odium adverſus ipſum concipiunt ; et, quibuſcunque modis poſſunt, perniciem ipſi machinantur. Ante viginti menſes fortuna mihi maximum vulnus inflixit in Gallia, uno fere momento omnes amicos quos ibi habebam mihi eripiens : nec tamen ejus erga me acerbitas iſto tanto meo vulnere leniri potuit, cum in Germania ſe infeſtiſſimam præbeat iis, quorum virtus et benevolentia erga me fecit, ut hujus diuturni mei exilii moleſtias lenius perferrem. Tu itaque, ut antea mihi fuiſti omnium amicorum longe chariſſimus, ita jam fere ſolus mihi ſuperes, cujus recordatione me oblectem, et ex cujus literis, in hoc meo luctu et mœrore, voluptatem capiam ; non ideo tantum quod teſtentur quantus ſit tuus erga me amor, ſed etiam quod in iis ſemper eluceat excellens illa vis ingenii tui, et futuræ tuæ virtutis ſpem in me magis ac magis confirment. Sed ab his triſtioribus rebus libet animum nonnihil avocare, et reſpondere ad injuſtas tuas accuſationes, vel potius minas, cum (ut ſcribis) conſtitueris Genuenſium injurias ulciſci. Verum ego ignoro quas injurias intelligas : nam ſi legerent quæ de ipſis ſcripſi, haud dubie indicarent ea ad ſuam laudem pertinere. Cum enim ſummum bonum conſtituant in iis rebus de quibus ſcripſi, proculdubio eos maxime dignos laude exiſtimant qui proxime pertingunt ad ſcopum in quem omnes collimant. Exiſtimareſne veſtram gentem injuriâ à me affici, ſi dicerem, vos tantâ arte ſaltare ut reliquos homines in ea re facile ſuperetis ? cum id laudi apud vos tribuatur, ſintque in veſtra

aula

aula non pauci qui in eo bonam partem suæ felicitatis constituant, idque unicum serio agant? Vellem te accepisse meas literas antequam Genuam pervenires: te enim incitassent ad aliquid discendum ex illis artibus quas tantopere prædicabam: sed tamen oportuisset te id apud illos homines dissimulare: nam nolunt sua mysteria aliis gentibus prodere, ne præripiant ipsis partem aliquam commodorum, quæ inde ad ipsos proveniunt. Bene vale, et amicos saluta.

Viennæ, 7. die Maii 1574. Dux Nivernensis heri huc venit.

XXVIII.

LAudo in eo tuam ingenuitatem, quod præmoneas me ut à te mihi caveam: nam nihil aliud sibi volunt atroces illæ tuæ minæ. Sed in ea re non observas præcepta tui Machiavelli, nisi forte metus tibi expressit istam grandiloquentiam et verborum magnificentiam, quoniam existimasti me eâ ratione ab instituto dimoveri posse. Miror tibi non venisse in mentem, Burgundos esse animo excelso et indomito, et instar palmæ adversus prementes insurgere. Sed ut est magnanimitatis adversariorum insolentiæ non cedere, ita ad eam pertinet affici commiseratione erga eos qui cum calamitatibus conflictantur, aut quibus calamitates impendent. Itaque, depositâ simultate, jam amici personam assumam; et hortabor te, ut industrium aliquem hominem mature quæras, qui te diligenter in Maranismo instituat: nam sine ejus cognitione non est, quod quisquam speret, se posthac dignitatem ullam in vestra Anglia adipisci posse. Hispani enim dicunt, se mittere in Belgium Joannem ab Austria; qui, oppressis Gueusiis, vos solo sui nominis terrore subiget;

get, Reginam Scotiæ libertati restituet, eam ducet uxorem, et Regna Angliæ ac Scotiæ in dotem accipiet. Vellem nomen illud Philippi, quo ita tumes, ut ne quidem ipsi Sancto Huberto parcas, jam posse converti in Joannem, ut fieres cognominis tuo futuro Principi, ad cujus gratiam tibi eâ ratione pateret facilior accessus; quare suadeo ut de ea re consulas vestros Canonistas, imprimis tuum Delium. Quod si indulgentiis, vel dispensatione, vel aliquo alio modo, id perfici poterit, cave ne ulli pecuniæ parcas, ut tam claro elogio ornatus ad tuos redire possis. Sed extra jocum: Hispani tumentes hac recente victoriâ, non solum Gueusiis, sed et vobis, et Electori Palatino, dira minitantur. Dicunt Joannem ab Austria ducturum Mediolano in Belgium magnas copias Hispanorum et Italorum. Conscribuntur etiam Hispanis in Germania equites ac pedites magno numero, et etiam ab Helvetiis petunt militem. Præterea instruitur in Cantabris classis tam valida, ut credant Gueusios, Anglos, et Gallos ne quidem ejus aspectum ferre posse. Quid tu ad hæc? Parturient montes. Ego plane existimo, eos de pace cogitare cum videant se armis nihil hactenus profecisse, et eo spectare istas ampullas verborum, ut quam minimo eam redimant: in qua re plus experientur difficultatis quam ipsi existiment. Non est ita difficile numerosos exercitus conscribere; sed eos diu alere, hoc opus, hic labor est. Paucos habent milites in Belgio; et tamen ii tumultuantur ob non soluta stipendia, et suos præfectos in vincula conjicerunt. Credo fore idem fatum Pontificis Rom. quod fuit Priami, nempe, ut intereat superstes omnibus iis qui eum coluerunt: quod ut fiat serio dant operam isti reges; qui scientes et volentes se in exitium præcipitant, ut ejus dignitatem et amplitudidem tueantur. Vos vulpeculæ subduxistis vos, et quidem

dem dux fœmina facti, quod eo magis eſt nobis ignominioſum et pudendum. Credo te in eo errare quod ſcribis Gallicum legatum reverſum Conſtantinopoli; nam alii de ea re nihil ſcribunt; et frater, qui ei mittitur ſucceſſor, eſt adhuc in Polonia. De deſcenſu Florentini ad Rhadamanthum, jam hic audiveramus. Pluto cum ſuis habebit jam quod agat permultos dies. Hic nominabitur olim inter aſtutos et felices tyrannos. Spes certa quam mihi jam facis, de tuo ad nos reditu, me plane beavit. Tibi et omnibus Anglis, quicquid in me unquam peccaviſtis, jam condono; et me fere pœnitet quod futuras veſtras calamitates vobis predixerim. Tibi erit longe commodius cum Domino Comite per Germaniam iter facere; cum præſertim omnes tui ſint ignari linguæ Germanicæ. Quare conſultius eſt ut ejus reditum expectes, dummodo ſe expediat ante ſolſtitium: nam valde tibi metuo ab æſtu, cum ſis admodum raro corpore, et ſciam, quam avide, imo quam intemperanter, veſcaris fructibus; et propterea tibi prænuncio febres et dyſenterias ſi iſtic per æſtatem manſeris. Tantum ſentio levamen doloris, cujus habeo juſtiſſimas cauſas, quum tuas literas lego, aut ad te ſcribo; quare temere inſero meis literis quicquid mihi in mentem venit, quod peto ut boni conſulas; et tibi perſuadeas, nihil malo animo à me ſcribi. Ubi aliquid certi de tuo diſceſſu decreveris, peto ut id mihi ſignifices, ne fruſtra literas iſtuc mittam. Bene vale, et amicos ſaluta, et præſertim Dominum Bruſchettum.

Viennæ, 13. Maii 1574.

XXIX.

XXIX.

LAudo in eo tuam virtutem et bonitatem, mi chariſſime Sydnæe, quod bonorum calamitatibus indoleas, et metuas ne victoria, quâ nuper potiti ſunt Hiſpani, ſit exitio iis qui ipſorum tyrannidi in Belgio adverſantur, ac pro patriæ libertate pugnant: de qua re quid ſentiam in proximis meis literis ſcripſi. Quæ autem poſtea ibi accidiſſe audimus, me magis ac magis in ſententia mea confirmant; cum videam bellum converti ab Hiſpanis in latrocinium, qui potius in id intendunt animum, ut perfide ſocios ſpolient, quam ut ſuos hoſtes opprimant: nam puto vos jam audiviſſe quanto cum ſcelere, poſt illam ſuam victoriam, Antuerpiam occupaverint: in quo neſcio an Commendatoris perfidia, an vero ſtultitia, magis accuſanda ſit. Quis enim poſtea ipſi fidem habebit? vel quam diſciplinam in exercitu ſancire poterit is qui præcipuum ejus vinculum ſolvit? Miles aſſuetus ſpoliis ſociorum, nunquam volet prædam cum periculo ex hoſte quærere. Licet Albanus multa illic reprehenſione digna commiſerit, nullum tamen ejus factum tam infame extat, nec unquam tantum flagitium in decus militare admiſiſſet. Champagnæus, Cardin. Granvellani frater, qui præerat Antuerpiæ cum quingentis militibus, præclarum ſibi nomen peperit, ita proditâ urbe, cujus erat ei commiſſa cuſtodia: quamvis neget ſe ejus proditionis fuiſſe conſcium, et de ejus authoribus conqueratur; dicatque ſe in Hiſpaniam iturum, ut totam rem ad Regem deferat. Ut vero ejus proditionis ſuſpicionem à ſe removeret, voluit ſe cum ſuis militibus opponere Hiſpanis irrumpentibus in urbem; aut ſaltem id ſimulavit: ſed juſſus eſt à Commendatore cum ſuis

K urbe

urbe excedere. Sit ſane immunis à perfidia, quia eſt Burgundus; nunquam tamen poterit ſtultitiæ opinionem effugere, cum urbi ſuæ curæ commiſſæ non melius præcaverit. Ego quidem doleo caſum præclaræ urbis; ſed ſpero ejus calamitatem profuturam Arauſienſi Principi; nam Walones jam tumultuantur, et minaciter debita ſibi ſtipendia flagitant; et parum abſuit quin nuper Lovanium occupaverint. Jam vero ſunt ad Bruxellas; ubi ſuburbana omnia diripiunt, et dira civibus minantur, ut ab ipſis pecuniam extorqueant. Arauſienſis interea minime deeſt ſuis occaſionibus; nam nuper occupavit oppidum Meghen, ſitum in dextra ripa Moſæ, ita ut poſſit inde libere in Brabantiam excurrere. Aiunt eum ibi pontem extruere. Ante tres aut quatuor annos, pervenit illud oppidum ſucceſſione ad filium Barlemontii, quo nullus ex proceribus Belgicis fuit addictior Hiſpanis, aut magis perniciosa conſilia ipſis ſuggeſſit. Ita Arauſienſis quum oppidum illud occupavit, non ſolum ſuis rebus conſuluit, ſed etiam patriæ, ac privatas ſuas injurias eſt quodammodo ultus. Ita vides res noſtrorum in Belgio non eſſe ita deſperatas, ut iſtic fertur. Quando has meas literas accipies, ſi nondum ad iter eris paratus, obſecro, ut de ea re me certiorem facias, ac etiam intra quod tempus ſis huc venturus, et an velis ut te hic expectem (ſi forte contingat Imperatorem ante tuum adventum hinc diſcedere) an vero Pragæ: nam ſperamus Imperatorem intra menſem hinc diſceſſurum; audio enim jam eſſe miſſos aliquos in Bohemiam, cum mandatis de indicendo conventu Calend. Jul.; ſed quia id cum conſenſu procerum regni fieri ſolet, forte in eum diem non conſentient, et ita res diutius differetur. Hoc indicabis Illuſtri Domino Comiti, ubi ad vos fuerit reverſus. Quoniam hic ſentimus æſtum ſatis gravem, non dubito quin vobis iſtic ſit moleſtus.

Sapies

Sapies itaque, si grues imitatus, æstiva commodiora quæsiveris. Ante quatuor dies venit huc cursor, qui discessit Constantinopoli quintâ die hujus mensis. Accepi literas à Dn. Ungnadio, Cæsareo legato; in quibus scribit, Sinanum Bassam, qui superioribus annis Arabiam Felicem seditionibus agitatam compescuit, fore præfectum classis, quæ Constantinopoli solvet sub initium proximi mensis. De Gallicis tragœdiis jam nihil scribam; cum non dubitem ista omnia ad vos citius quam huc perferri. Putabam libellum stratagematum Regis Galliæ, esse typis expressum: alias noluissem tibi in ea re esse molestus. Ubi ad nos veneris, dicam tibi quâ occasione et à quo sit scriptus: nam non est tutum id literis committere. Bene vale.

Viennæ, 21. die Maii 1574.

Nivernensis hic sensit graves cruciatus in crure, in quo vulnus accepit ante aliquot annos; sed factâ suppuratione, melius habere cœpit; ita ut putem eum intra paucos dies hinc discessurum.

XXX.

QUamvis nihil jam à te literarum acceperim, meam tamen ad te scribendi consuetudinem intermittere nolui: nam maximâ parte amicorum meorum variis calamitatum generibus oppressâ, ex sola fere amicitiæ nostræ recordatione voluptatem capio, quæ quum ad te scribo, aut literas tuas lego, animum meum maxime subit. Quoniam autem metuo, ne meæ literæ post tuum discessum istuc perveniant, ita ad te scribam, ut non valde metuam, ne in alienas manus deveniant, et quæ erant liberius scribenda, in adventum tuum ea reservabo. Hispani adhuc grassantur Antuerpiæ prout

 ipsis

ipsis libet: nam nec apud cives, nec apud exteros, potuit tantum pecuniæ reperiri quantum ipsi postulant. Tumultuantur etiam ii qui novam arcem obtinent, jamque aliquot ex suis præfectis interfecerunt, et, displosis multis majoribus tormentis, Antuerpiensibus magnum metum incutiunt. Convenerunt Bruxellis legati provinciarum quæ Regi Hispaniæ parent, quos eo vocavit Commendator, ut cum ipsis de republica deliberet, et præcipue de ratione conficiendæ pecuniæ ad persolvenda militi stipendia: sed nec ipse Commendator adhuc eo venit, Antuerpiensium rebus implicitus, et Bruxellenses sibi plurimum metuunt à Walonibus, qui vicinos urbi pagos depopulantur, et dira minitantes, pecuniam ab eis extorquere conantur. Hispani, Germani, et Walones, qui sunt in Hollandia, episcopatu Trajectensi, et Gueldria, imitantur alios, et etiam sua stipendia seditiose flagitant, et quacunque iter faciunt, omnia diripiunt. Conati sunt occupare Trajectum Inferius; sed cives edocti calamitate Antuerpiensium, corripuerunt arma, et eos fortiter repulerunt, et quadraginta aut quinquaginta ex iis interfecerunt. Ita victoria quam Regis Hispaniæ copiæ nuper de hostibus obtinuerunt, damnum potius quam emolumentum ipsi Regi adferre videtur. Arausiensis interea stravit ponte Mosam, non procul à Bommelio, ut habeat liberam excursionem in Brabantiam; et ad utrumque caput pontis castella extruxit, quibus eum tueatur. Postea profectus est in Zelandiam, ut classem suam instruat, eo quod dicatur Hispanica adventare, cum qua confligere constituit. Credo te audivisse Comitem Annibalem ab Ems, fratrem Card. Constantiensis, conscripsisse Regi Hispaniæ duas legiones, seu duo regimina, ut loquimur, peditum, quos duceret in Belgium. Aliquot Gallici equites, ex eorum numero qui ad Christophorum Palatinum proficiscentes

tes retrocesserunt, ubi audiverunt ejus copias esse cæsas, invaserunt ipsum Comitem Annibalem proficiscentem Argentorato Tabernas Alsaticas, et aliquot ex ejus comitibus interfecerunt; ipsum vero, acceptis duobus vulneribus, fugientem, Tabernas usque insequuti sunt, et eum jam urbem ingressum, petierunt sibi dedi ab episcopo urbis domino, minantes se injecturos ignem suburbanis ædificiis nisi statim eum dederet. Quidam dicunt episcopum istorum minis territum, dedidisse ipsum; quod mihi non sit verisimile. Incidit autem id in quartum diem hujus mensis. Dux Nivernensis ante triduum hinc discessit. Poteris, si voles, tuos oculos ejus conspectu beare, quoniam istuc proficiscitur. Nuper mortuus est ei filius, quem unicum habuit; quod tamen ipse ac tota ejus familia adhuc ignorat. Forte Deus non vult, ut planta illa radices in Gallia alte agat. Ad illustrem Dominum Comitem non scribo, nec ad ejus domesticos, quia nescio an ad vos redierint; si redierunt, peto ut eos officiose meo nomine salutes, ac Dn. Bruschettum, et alios amicos. Bene vale.

Viennæ, 28. die Maii 1574.

Mihi obsignaturo literas nunciatum est, Antuerpiam esse direptam ab Hispanis, quod utinam non sit verum.

XXXI.

AGo tibi maximas gratias pro misso libello, præclaro quidem testimonio nostræ virtutis ad posteritatem, cujus jam suavissimos fructus percipimus. Vide ne irrites crabronem illum, cum quo scribis te expostulasse: nobis enim necessaria est ejus opera

quamdiu

quamdiu istic vives, si ex nostra amicitia fructum decerpere velimus. Animadverti esse hominem ineptissimum ex pluribus ejus literis ad communem nostrum amicum, cui ne quidem parcit, cum tamen plurima ab eo beneficia accipiat. Ulciscere igitur ejus injurias humanitate. Non placet, quod promittat se posthac diligentiorem fore: mallem eum esse minus diligentem. Recte fecisti, quod in tuis illis occupationibus tantum sis tibi otii suffuratus, quantum satis fuerit ad scribendum: nam in ea re summo jure semper tecum agam, nec est quod de mea indulgentia quicquam tibi promittas. Quid autem hoc rei est, quod in ternis aut quaternis posterioribus tuis literis altum est silentium de tuo ad nos reditu? cum tamen antea scripseris, nihil jam superesse quod iter tuum remorari possit? Ego jam tardius accuso meam stultitiam, quod pro meo imperio non jusserim te statim accurrere, quando scripsisti te id meo arbitrio permittere. Propter discessum Imperatoris non est quod jam properes, mutavit enim sententiam, cum tamen jussus esset hospitiorum designator ire Pragam. Nescio quibus fatis repellatur à Bohemia, cum ejus plurimum intersit illuc proficisci. Filios eo mittit, quos dicit se subsequuturum; sed (ut existimo) festinabit lente. Regi Rodolpho eo ituro semper aliquid intervenit impedimenti, cui rei aliquid ominis inesse videtur. Quando eo primo missus est à patre, laboravit in itinere ex variolis, seu exanthematibus. Proximâ hyeme, quum ipsi esset eundum eo, subito incidit in febrim, quæ ejus iter est remorata. Jam vero exercens corpus ferreo vecte, quem parum caute vibrabat, vulnus sibi in dextra sura inflixit, sed adeo lene, ut institutum iter non intermiserit: hodie enim sub auroram hinc discessit. Scripsi proxime de fugato et vulnerato Comite Annibale E-

missio.

missio. Perierunt in eo conflictu octodecim ex iis quos secum ducebat, et ipsi sunt erepti quindecim currus, quibus arma varii generis vehebantur. Galli, qui facinus illud perpetraverunt, convenientem sibi prædam adepti, conscenderunt Vogesum, in quo occuparunt arces Turbenstein et Chastillon, quæ sunt in finibus Lotharingiæ et episcopatûs Metensis. Eo quidem spirant venti quo cupio; sed metuo ne desinant: nam audio Lotharingum conscribere militem, quo istos à suis finibus avertat. Duæ illæ arces non procul absunt ab excelsa illa Palatinopoli, quo superiore æstate profectus es Argentorato ut surgentia ejus mœnia conspiceres, et Fossæ Gallo tuam pecuniam crederes. In eo, mi dulcissime Sydnæe, quod me agitatum variis tempestatibus in patriam tuam, tanquam in tutum portum, humanissime invitas, agnosco insignem tuam bonitatem et benevolentiam erga me; et nisi tantus meus erga te amor, ut nihil ad eum accedere possit, multum sane ex ea re accessisset ad eum. Non est, quod cujusquam humanitatem prædices, ut me eò pellicias. Nihil esset efficacius ad me eo pertrahendum tuâ virtute et meo erga te amore, si id res meæ ferrent; et utinam id consilium quod jam suggeris, inivissem ante aliquot annos, cum esset minus præcipitata mea ætas; sed meus amor erga patriam fuit in causa, ut stulte speraverim, eam desituram insanire, nec permisit ut inirem recta consilia; cujus quidem rei me jam pœnitet; sed nimis sera est pœnitentia. Gratissimum est mihi, quod constitueris cum nostro Wakero de pronunciatione conferre. Id unicum à te flagitavi: reliqua ita suggessi, ut ea arbitrio tuo permitterem. Scripsisti dudum te mihi significaturum, quando esset ad Dn. Comitem scribendum: sed videris esse immemor tui promissi, cum in posterioribus tuis literis nullam de

ejus

ejus reditu ad vos mentionem facias. Bene vale, et amicos saluta.

Viennæ, quart. die Junii 1574.

XXXII.

HEri mihi literas tuas reddidit generosus tuus Corbettus, jam etiam meus, postquam tu ita vis, et ejus virtus id meretur. De variis rebus cum eo colloquutus sum, et mihi visus est plane talis qualem eum in tuis literis descripsisti; hoc est, pius, prudens, modestus, et sine fuco, et tui tam amans ut non possit esse magis. In eo fefellisti eum, quod ei fecisti spem de me, cui nequaquam respondere possum. Præstabo quæ potero, nihilque ipsi deerit quod in mea potestate sit situm. Alterum nondum vidi, quamvis accesserim ad ædes in quas divertit, ut eum ad Dominum Vulcobium deducerem. Quia tibi necessitudine junctus est, eum mihi esse amandum et complectendum statuo. Itaque nihil ipsi deerit quod in mea potestate sit situm. Reddidit mihi heri alteras tuas literas Dominus Vulcobius, quæ pulchre testantur quantum præstet indulgentiæ severitas: nunquam enim ita sedulus in scribendo fuisses, nisi metuisses mea fulmina; sed in tui gratiam volo credere, te id fecisse ut me humanitate superares. Gratum fuit, quod in calce literarum addidisti, Dominum Comitem rediisse Patavium. Spero me per proximum tabellarium habiturum aliquid certi de vestro itinere: nam nullus jam tibi tergiversandi locus relinquitur. Nolui ad Dominum Comitem scribere, ne meæ literæ, post ejus discessum, in alienas manus devenirent; existimo enim vos sub hoc tempus discedere Patavio. Miraris me jocari hoc rerum statu: ego vero despe-

ratione ita obstupui, ut publicarum calamitatum sensum pene amiserim. Quæ enim potest nobis superesse spes salutis in tanta principum nostrorum socordia? Imperator suâ prudentiâ et moderatione tuetur utcunque Germaniæ tranquillitatem. Quid autem, eo mortuo, fiet? At scis imbecillam esse ejus valetudinem. Aiunt præclaram esse indolem pueri Scotici. At vestra messis in herba est, et forte ruent omnia antequam maturescat. Dominus Corbettus ostendit mihi tuam effigiem, quam, ut oculos meos explerem, per aliquot horas apud me habui, sed intuitu mea cupiditas potius aucta est, quam imminuta. Videtur mihi potius referre aliquem tui similem, quam te; et initio existimavi esse tui fratris. Pulchre quidem expressa sunt pleraque tua lineamenta; sed est longe magis juvenilis quam deceat. Puto te fuisse non absimilem quum duodecimum aut decimum tertium ætatis annum ageres. Donavit mihi Dominus Corbettus alterum exemplar præclari illius nostri Stratagematis, pro quo tibi et ipsi gratias ago. Illud quod prius miseras, dederam Domino Vulcobio tuo nomine. Antiqui vocabant stratagema prudens consilium quo Imperatores exercituum, vel suis in periculo versantibus salutem, vel hostibus perniciem, procurabant: Jam vero, ex disciplina vestræ Italiæ, invertimus omnia, et virtutum nomina vitiis indere solemus; ita ut non pudeat nos, fraudes, perfidiam, et crudelitatem, prudentiam et animi magnitudinem nominare. Incendium quo jam ardet Gallia, existimo solâ ruinâ restingui posse. Nescio quam bene sibi consuluerint vestri, qui passi sunt in sua vicinia Montgomerium opprimi; cujus captivitate perinde exultant Pontificii, ac si esset debellatum. Sed si vera sunt quæ hic de morte Regis Galliæ audimus, diluetur ipsorum gaudium, ne eo nimis inebrientur. Scripsi ante paucos dies, me mirari

L quod

quod de tuo ad nos reditu nihil amplius scriberes: jam vero non solum miror, sed etiam suspicor, te aliquod consilium inire, cujus nolis me esse conscium; cum Dominus Corbettus mihi dixerit, te nolle de tuis rebus quicquam constituere, antequam literas à tuo parente acceperis. Quicquid erit illud quod tentabis, semper Deum orabo, ut tibi feliciter succedat. Si successus Domini Comitis in itinere Romano invitat te ad illud suscipiendum, et hic tibi dixi, et sæpius scripsi, quid de ea re sentirem. Persuaserunt forte aliqui tibi, te à me amari indulgentius, et propterea me nolle, ut, rei honestæ causâ, te vel in periculum conjicias, vel labores et molestias perferas. Etiamsi nihil mihi sit te charius, et nemo vivat cui tantopere metuam, ejusmodi tamen est meus amor, ut si viderem te mollitie animi aliquid omittere quod ad animum tuum virtute excolendum faceret, nemo te acrius me reprehenderet. Iter Constantinopolitanum, quantum ad pericula quæ in itinere intervenire possunt, et ad labores et molestias, est longe difficilius Romano: sed si esset tibi in animo illud aggredi, non tantopere conarer te ab instituto tuo abducere: nam in eo itinere non esset, sicut in Romano, periclitandum tibi de pietate, seu conscientia (ut loquimur) et existimatione, quibus rebus nihil debet esse nobis charius; quæ tamen facillime læduntur, et difficulter sanantur: si enim incideres in manus istorum latronum, aut tibi desciscendum esset à religione quam profiteris, aut subeundum capitis periculum. Effugere autem eorum manus esset pene tibi impossibile, quoniam etiamsi non esset tibi metuenda proditio eorum, qui forte simulant se esse tibi amicos, tamen oris tui dignitas efficeret, ut plurimi de te inquirerent: imo si in levissimam febriculam incideres, id statim tuus hospes, vel medicus quem ad te vocares, suo parocho indicaret: nam id jubentur fa-

cere.

cere. Quid autem eximiæ utilitatis ad te rediret, si per paucos dies Romana rudera timide perlustrares, nimirum ut gloriari posses te ea vidisse. Deus largitus est tibi eam ingenii vim, quæ nescio an ulli mihi noto contigerit, non ut eâ abutaris ad res inanes cum periculo scrutandas, sed ut eam impendas patriæ, et bonis omnibus; et cum sis ejus dispensator tantum, facies injuriam ei qui tantum beneficium in te contulit, si eo fueris abusus. Vides quid acciderit Dn. Foxio, viro prudenti, et in magnis rebus exercitato, ideo tantum quod existimaverit in aula Romana esse eam civilem humanitatem, quæ etiam apud maxime barbaras gentes esse solet. cum debuisset credere esse impuram officinam, in qua (ut ait Petrarcha) cuditur quicquid fraudum et scelerum per totum orbem spargitur. Vide igitur, ne quid committas cujus te postea pœniteat, et quod non tantum tibi, sed etiam omnibus iis qui te vero amore prosequuntur, perpetuum mœrorem adferat. Peto, ut isti meæ libertati agnoscas; et si hæc à me stulte dicantur, existimes tamen ea proficisci ab animo tui amantissimo. Saluta, obsecro, meo nomine, Illustrem Dominum Comitem, et totam ejus familiam, Dominum Brusquettum, et alios nostros amicos.

Viennæ, undec. Jun. 1574.

XXXIII.

Si animo meo indulgere vellem, de nulla alia re ad te scriberem quam de meo erga te amore; cui cum virtus tua occasionem præbuerit, vel potius ejus præcipua causa extiterit, tantum ad ipsum incrementi semper accedit, quantum ad virtutem tuam accedere amici istinc ad me scribunt, ac etiam ex tuis literis depre-

 hendo.

hendo. Nuper mihi ſignificaverunt quidam noſtri amici, ſe ex te et ex tuis audiviſſe, te nullam aliam cauſam habere, quare in Germaniam revertaris, quam ut iſto tuo ad me reditu teſteris quantus ſit tuus erga me amor. Ego, mi dulciſſime Sydnæe, negare non poſſum, nihil eſſe mihi te charius, nihilque mihi tuo conſpectu jucundius contingere poſſe: ſed (mihi crede) ſi exiſtimarem iſto tuo reditu in Germaniam aliquid tuis commodis deceſſurum, ego te omnium maxime ab eo inſtituto dehortarer, et abducere conarer: et te jam per noſtram amicitiam obteſtor, ne quid meis affectibus in ea re tribuas, ſed de tuis rebus ita conſtituas, ut tuis rationibus maxime convenire judicabis. Voluptas, quam ex tuo conſpectu capiam, non erit diuturna; at vereor, ne nimis pertinaciter in animo meo hæreat dolor quem poſtea tuus diſceſſus mihi adferet: cujus rei cogitatio me jam angit et torquet. Nihil volo apud te diſſimulare. Ego non ita admiror Italorum ſapientiam, ut omnia ipſorum dicta pro oraculis habeam; nec valde probo eorum rationes, qui ſe vitam præclare inſtituiſſe credunt, ſi ad ipſorum mores quam proxime accedant. Quæcunque ſane gentes meâ memoriâ uſæ ſunt eorum conſiliis in adminiſtranda ſua republica, eæ maximis calamitatibus patriam ſuam involverunt. De ſceleribus nihil dicam. An non in Italia maxime laudantur ii qui diſſimulare ſciunt? qui ſciunt aſſentari, et in potentum gratiam quibuſcunque modis irrepere, et ſe ad eorum affectus ita attemperare, ut quicquid ſuggeſſerit ſplendida bilis, ei cui ſemel ſervire decreverunt, id ſit ipſis ſanctum, proque eo ut pro aris et focis ſibi eſſe pugnandum cenſeant? imo poſtquam longâ ſervitute fracti ſunt eorum animi, quaſcunque indignitates et contumelias libenter perferunt, modo pecunia et turpes voluptates ipſis non eripiantur: et ſecum præclare agi exiſtimant, ſi is, à cujus nutu

nutu pendent, eos interdum (ut ait poeta) clauſo labello reſpiciat. Quantum ad me attinet, ego judico, ingeniis liberalibus nihil eſſe pernicioſius illis artibus, quæ maſculam eorum virtutem emolliunt, et animos ad ſerviendum præparant: nam ſervitutem eſſe talium artium præmium, illi ipſi Itali ſuo magno malo experiuntur. An non magis convenit tuæ indoli et tuis natalibus, colere pietatem, fidem ſervare, idem habere in ore et in pectore, tueri bonos adverſus injuſtam vim, et patriæ ſalutem vitâ potiorem exiſtimare: quæ artes cum facilius addiſcantur in Germania quam in Italia, ego dedi operam, ut te huc revocarem; non tam ut artes illas addiſceres, quam ut eas à natura tibi inſitas excoleres. Meminiſti quid de adeunda Norimberga tibi ſuaſerit Suendius, qui vir cum prudentiâ et rei militaris peritiâ ſuperet, quotquot ego novi, nihil magis cuperem, quam te ſub eo militiæ tyrocinium ponere, ſi eum contingeret ducere exercitum, interea dum abes à patria. Mihi magis placent Germanorum, Polonorum, et Danorum, rationes, qui dant operam, ut ipſorum principes contra leges nihil poſſint, quam earum gentium, quæ vel voluntate, vel metu, ita ſe ad ſervitutem comparaverunt, ut nefas eſſe putent, vel quidem ſuſpicari, aliquid injuſte à principe fieri. Conſulo tibi, ut vinculum illud contractæ amicitiæ inter te et Dominum Comitem Hanavienſem quam arctiſſime conſtringas; et des operam, ut plurium Germanorum benevolentiam tibi concilies, et præſertim eorum in quibus virtutis indolem aliquam eluceſcere videbis. Raro ad amicitiam fucum adferunt, et in ea colenda plerumque ſunt conſtantes, et quod præcipuum eſt in amicitia vinculum, idem quod tu in religione ſentiunt; de qua jam excitatæ ſunt tam acerbæ concertationes, ut vix poſſit vera amicitia coaleſcere inter eos qui in ea diſſentiunt. Nolo tibi

male

male ominari; sed tamen hæc suadens considero, quam sit mutationibus obnoxia tua patria, quæ quando accidunt, fortuna maxime sævit in eos, qui virtute, ingenio, et natalibus, sunt conspicui et illustres. Si itaque vel adversariorum injusta vis, vel aliqua alia necessitas, cogeret te olim extorrem fieri, nusquam (meo judicio) vel honestior, vel tutior receptus tibi contingere posset, quam in Germania. Nemo ignorat nostros Gallos variis calamitatibus agitatos, proximis annis Germanorum erga se humanitatem sæpius esse expertos: imo ipsorum auxiliis non semel fuerunt in patriam reducti, quod nunc etiam Principem Condæum sperare dicunt. Vellem te posse persuadere Domino Comiti, ut una Cracoviam usque excurreretis: possemus enim efficere, ut Regi, non Poloniæ, sed Galliæ, innotesceretis: id quo tuis rebus plurimum conducere existimarem, si nondum mutasti consilium de adeunda aula Gallica, antequam in patriam revertaris. Nam te eo nomine benignius et familiarius complecteretur Rex, quod ipsi tam procul à patria primum innotuisses. Nequaquam contemnenda est tantorum Principum benevolentia, qualescunque ii sint: nam etiam ii qui non sunt boni interdum alio respicientes, suscipiunt defensionem eorum qui injuste affliguntur. Contracta autem ibi notitia nemini posset suspicionem in patria tua injicere, cum omnes judicaturi sint te ideo tantum in eas regiones profectum esse, ut eas perlustrares. Si Dominus Comes ab eo itinere abhorreret, et contingeret eum differre suum reditum in Germaniam in unum aut alterum mensem, consulo ut præcedas: ita tamen ut promittas te eum hic expectaturum. Interea autem excurres Cracoviam, et huc ad nos redibis, quod totum iter conductâ rhedâ, quindecim aut sedecim diebus absolvere poteris. Hæ sunt causæ, mi dulcissime Sydnæe, quæ me movent, ut te

in

in Germaniam revocem, quas tibi prolixius explicare volui: quod meum factum ab animo tui amantissimo proficisci (ut spero) non dubitabis. Tu vero de iis constitues, ut tibi videbitur. Quicquid autem constitueris, orabo Deum, ut id tibi feliciter succedat: nihil quidem mihi posset contingere jucundius tuo conspectu, sed tamen eo per paucos dies mihi frui licebit: tuus vero à me discessus ingentem mihi dolorem adferet: nam adimet mihi omnem spem te postea videndi; et quocunque perveneris, non suppetet nobis ea occasio decerpendi fructum ex nostra amicitia mutuis scriptionibus, quam habuimus interea dum istic vixisti. Itaque licet nondum fruar voluptate tui conspectûs; me tamen jam angit et torquet cogitatio de tuo discessu. Quod de generoso Domino Barone et Burggravio à Thonau scribis, est mihi valde gratum; et cum prior me nullo meo merito provocatus ad amicitiam invitaverit, dabo operam, ut intelligat me id pro magno beneficio habere. Peto ut eum meo nomine salutes, et ei deferas mea officia et obsequia. Fuit mihi ante multos annos notus, ac etiam familiaris Vitembergæ, et postea Lutetiæ Dominus Christophorus ex eadem familia, quem hujus patruum fuisse suspicor. Saluta etiam Dominum Monavium, si adhuc istic est. Ad ipsum dudum non scripsi, quia ex literis, quas ad me ante unum aut alterum mensem dedit, conjiciebam ipsum jam transvolasse Alpes, et colere nymphas natantes in liquidis undis Rhodani et Lemani. Bene vale, et amicos saluta.

Viennæ, 18. die Junii 1574.

Nondum hinc discesserunt tui populares. Consulueram ipsis, ut Norimbergam usque conductis rhedis uterentur, cum constituerint Pragam iter facere: sed maluerunt emere equos, quamvis jam, ut mihi videtur, pœniteat eos, quod non sint sequuti meum consilium.

XXXIV.

NIHIL est mihi in meis rebus tam charum aut pretiosum, quod non libenter darem, ut hic jam nobiscum esses, quo et Regi Galliæ innotesceres, et cum nonnullis qui sunt in ejus comitatu contraheres amicitiam, quæ tibi postea foret usui, si quando in aulam Gallicam redieris, ut videris habere in animo. Commendavi te Montmorino, qui hic est; et petii ab eo, ut te in suam amicitiam recipiat, si quando in Galliam redieris. Respondit mihi, se ubicunque in te inciderit, omnia tibi amicitiæ et benevolentiæ officia exhibiturum. Defert autem tibi apud se hospitium, quandocunque in aula commodius nancisci non poteris, quod sæpe tibi continget, et petiit à me, ut te officiose suo nomine salutarem. Mi charissime Sydnæe, ego magis quam antea cupio tecum colloqui de rebus quæ ad te pertinent, quas non licet literis committere. Valde metuo, ne hæc mors Regis Galliæ magis accendat in orbe Christiano diffidia de religione; et principes, qui in ea dissentiunt, majore impetu in suam perniciem ruant. Videbimus quid sit facturus hic Rex, ubi in Galliam redierit: nam omnes, qui sunt ei familiares, dicunt eum constituisse benigne ignoscere omnibus qui aliquid commiserunt, ob quod merito ipsis succensere possit; et complecti omnes benevolentiâ

qui eam exoptabunt: quod utinam dicat ex animo, et faciat; nemo enim ſtrepitu abigit aves quas ſuis retibus involvere cupit. Utinam imitaretur exemplum proavi ſui Ludovici Duodecimi; cui cum regnante Carolo Octavo, multi non ſolum eſſent adverſarii, ſed etiam in capitis periculum ipſum adduxiſſent; omnibus tamen bonâ fide ignovit ubi ad regnum pervenit, et mirantibus amicis, quod tot acceptas injurias non ulciſceretur, reſpondit, injurias factas Duci Aurelianenſi nihil pertinere ad Regem Galliæ. Vox vere digna magnanimo, prudente, et bono principe, qualem eum fuiſſe ita credo, ut fere eum præferam omnibus regibus quos unquam Gallia habuit. Diſſenſio de religione huic noſtro maximas difficultates adferet. Jam, ut audio, ſcripſit ad Principem Condæum, et detulit ei ſuam benevolentiam; ac eum eſt hortatus ut in Galliam redeat: quod (ut exiſtimo) non facile ei perſuadebit; nam ad me ſcriptum eſt Argentorato, Condæum ibi publice profeſſum eſſe, ſe Deum graviſſime in eo offendiſſe, quod poſt ſtragem Pariſienſem metu mortis ad ſacra pontificia acceſſerit, ſeque peccatum ſuum agnoſcere, et petere à Deo, et ab Eccleſia, ut illud ſibi condonetur. Dicunt eum conſcribere militem, credo, ut cum eo redeat in Galliam. Ipſe Rex heri ſub horam quartam venit in hanc urbem, vectus eâdem rhedâ qua Imperator, qui ei obviam progreſſus eſt ad Thabor, qui eſt locus in inſula quam efficit Danubius, ubi exigitur portorium. Matthias et Maximilianus, Archiduces, occurrerunt ei ultra Danubium. Rex Rodolphus et Erneſtus Archidux brevi ſunt adfuturi: nam Imperator jubet eos ſuum reditum accelerare. Rex ſubſtitit diem unum in arce Wolkerſdorf, quæ hinc abeſt tribus milliaribus, ut interea ejus miniſtris veſtes lugubres hic conficerentur: nam id non licuit Cracoviæ facere, ob repentinum ejus diſceſſum,

Pibracus, vir ingenio, eruditione, et eloquentiâ tantâ, ut non putem Galliam habuisse parem, aberravit in sylva ab aliis nimis properantibus. Qui hic sunt existimant eum interceptum à Polonis, discedentes retrahere volentibus, aut aliquo alio modo periisse. Sed de his coram. Quidam putant, regem istuc venturum, et per Rhetos in Galliam reversurum; quod vix fiet; Credo eum per ditionem Austriacorum Principum recta ad Rhenum iturum: nam hæc est compendiosior via. Scis quæ fuerint ultima verba Pompeii, et meministi annuli vestri cordis leonini. Hæc me habent solicitum. Tuos populares venturos hodie Pragam spero. Procuravi ipsis itineris comitem, vel potius ducem, qui est peritus earum regionum ad quas proficiscuntur. Dedi ipsis literas ad amicos quos habeo Pragæ et Norimbergæ, qui (ut spero) aliquid humanitatis ipsis exhibebunt. Dabit operam Augustæ vester Bizarrus, ut immortalibus erga ipsos beneficiis vestræ genti exprobret ingratitudinem erga se, et vos sibi perpetuo obnoxios reddat; quare consulo, ut per otium cogites, qua ratione possis huic tantæ erga vos beneficentiæ aliquâ ex parte respondere. Si tibi contingere posset occasio salutandi Regem in hoc suo itinere, cuperem te eam omnino accipere. Montmorini operâ uti posses, et si abesset, Bellævræi, cui ego te commendabo. Quamdiu sit hic mansurus, nescio; sed haud dubie properabit quantum ipsi per Imperatorem licebit: nam ipsius intereſt ut id faciat: Gueusii eodem tempore quo ceperunt ad Antuerpiam naves, de quibus antea scripsi, ceperunt et alias in portu Amsterdamensi. Hispani discesserunt tandem Antuerpiâ, bene nummati, et splendide vestiti. Videtur Commendator velle obsidere Bommelium. Helvetii quos conscripsit hærent in Burgundia; et negant se ulterius progressuros ante adventum Hispanorum et Italorum,

quos promisit Commendator fore ipsis itineris comites. Casus Comitis Annibalis ab Ems reddit eos vel cautiores, vel timidiores. Huguenoti adhuc retinent arces quas prope inclytam Palatinopolim in Vogeso occupaverunt. Bene vale, et saluta amicos, ad quos ideo non scribo, quia sum occupatissimus, ut facile potes conjicere.

Viennæ, 25. die Junii 1574.

Meas ad te literas misi nostro Wakero, quia Dominus Vulcobius est jam occupatior. Jam mihi est dictum Pibracum variis casibus jactatum, et multis injuriis affectum, heri sub noctem huc venisse: quæ res me magnâ affecit lætitiâ. Heri accepi à Lobetio literas ad te, quas jubet ut hic tibi tradam, in qua re ego ei parebo; nam si eas ad te mitterem, forte post tuum discessum istuc pervenirent.

XXXV.

DE discessu Regis ex Polonia, et adventu ad nos, scripsi ad te ante triduum; sed ejus rei fama haud dubie literas meas antevertit, et forte hæ citius tibi reddentur quam illæ alteræ. Scripseram me existimare, eum non venturum ad vos, eo quod longe breviore et commodiore viâ potuit per ditionem Austriacam pervenire in Lotharingiam, ita ut nullius principis potestati se committeret, præterquam Imperatoris, in cujus jam erat: sed sum falsus meâ opinione: mavult enim bis transcendere Alpes, et ferre æstum et pulveres istius vestræ almæ Italiæ, et longo circuitu in patriam pervenire, (cum tamen ejus res celerita-

tem requirant), quam ad Germanorum austeriores mores sese diutius attemperare. Ego vero volo humanius de ea re sentire, et credere ipsum ita suum iter instituere, ut urbem Venetam videat, et cum ea republica et vicinis principibus arctiorem amicitiam contrahat. Utinam calcando illud solum, in quo ejus majores ante non multos annos præclaras res gesserunt, excitetur ad imitationem virtutis ipsorum, et præcipue ad studium conservandi suos, et omnes injurias ab iis fortiter repellendi: qua re nihil fuit illis semper antiquius. At nos ab aliquot annis in hoc toti incumbimus, ut eos perdamus, quorum cura à Deo est nobis commissa, et qui nobis sunt maxime fidi; quod ut perficiamus, petimus consilium ab iis, quibus nostro exitio nihil gratius contingere potest, et cogimur eis interea turpiter assentari, et quicquid superfuit in nostra republica antiquæ majestatis prostituere. Sed dolor me abripit, et ab instituto abducit. Si fama adventus Regis ad vos perveniet ante vestrum discessum, haud dubie tu voles esse spectator pompæ qua à Venetis excipietur; quam non dubito fore insignem, et maxime spectatu dignam. Consulo ut omnino des operam, ut ipsi Regi innotescas, quod vel per Ferrerium, vel per Montmorinum, vel Pibracum, vel per Bellevræum perficere poteris. Ferrerio es notus et familiaris: Montmorinus te etiam novit et amat: apud Bellevræum et Pibracum feci tui mentionem qualem debui; utriusque autem eximiam erga me humanitatem sum expertus. Sed memineris in magna turba et festinatione oportere te esse intentum in occasiones, et non nimis verecundum. Longum esset scribere, quomodo ex Polonia discesserit Rex cum suis, et quam humaniter sit ab Imperatore exceptus; quare id in tuum adventum rejiciam. Tu tamen, si voles, poteris hæc omnia scire ex iis qui Regem comitantur, et præser-

tim

tim ex hoc vetere meo amico, Domino Burthæo, qui has meas literas tibi reddet. Hæc ſcripſi raptim, nondum evaporatis fumis ex heſterna crapula; nam quia perpetuo in hoc æſtu curſitamus, etiam non invitati interdum largius bibimus quam conveniat noſtræ valetudini. Vale.

Viennæ, 28. Junii 1574.

XXXVI.

MIror qui fiat ut jam nihil à te literarum accipiam, cum in poſterioribus aliquot tuis epiſtolis non ſo-
l... veris te ſolito diligentiorem, ſed etiam viſus
...am ut teipſum humanitate ſuperares. Ne-
...uſam tibi præbuerim iſtius ſilentii: nam
...ihi fuiſſe negligens in reſcribendo, ſi literæ m... ...unt tibi bonâ fide redditæ. Ego metuo ne æſtus quem experimur hic ſolito graviorem, vel immoderatior eſus fructuum tibi peperit aliquid eorum malorum quæ antea tibi denunciavi, ſi iſtic per æſtatem maneres; in quo utinam ſim falſus vates. Verum longe magis metuo ne conſilium de itinere Romano, quod dudum animo agitas, te tranſverſum tandem abripiat: nam tui populares ejus rei hic facientes mentionem, non parvum ſcrupulum mihi injecerunt. Mi dulciſſime Sydnæe, ſi honeſta virgo quæ vel ob propinquitatem vel aliam ob cauſam tibi eſſet chara, victa immoderato deſiderio videndi ſuos obſeſſos in urbe aliqua, auderet noctu ingredi caſtra hoſtium ſpe fallendi excubias, et penetrandi ad ſuos in urbem, reſque ei ex animi ſententia ſuccederet, an ob id facinus eam laudandam cenſeres? Nequaquam meo judicio: nam nihil tanti eſſe debet honeſtæ mulieri, ut propter id ſuam pudicitiam in periculum conjiciat; nec

de

de ejusmodi factis ex eventu judicare debemus: nec puto quemquam sanum facile sibi exoptaturum conjugem eam quæ tale facinus sit ausa: nam non videtur tantum metuisse suæ pudicitiæ quantum debuit, cum incerto eventui eam commiserit. Eodem modo si quis eorum qui puriorem religionem profitentur, nullâ necessitate adactus, conjiciat se in periculum ne veniat in potestatem eorum, quos religionis quam profitetur scit esse hostes infensissimos, et nihil non facere quo possint omnes ei religioni addictos opprimere, vel ad sua sacra traducere: crede mihi is qui aliquid tale ausus fuerit, non minus culpabitur quam virgo quæ hostilia castra est transgressa: nam opinio quam homines habent de nostra sinceritate in religione, facilius fere læditur quam ea quam habent de pudicitia mulierum, si vel levissimam de nobis male suspicandi occasionem eis præbeamus. Semper autem suspicabuntur nos habuisse consilium aliquod non satis honestum, quo nos explicaremus, si contigisset nos incidere in periculum in quod nos conjiciebamus. Prudenti viro fama et existimatio semper erit charior ipsâ vitâ, et cavere debet diligenter, ne eam incertæ aleæ fortunæ committat. Hæc, mi charissime Sydnæe, stulte forte à me dicta, sed tamen à summo meo erga te amore profecta, ut spero in bonam partem accipies. Ego apud te solum sumo mihi libertatem monendi et scribendi quicquid mihi in mentem venit: in qua re si pecco, pars culpæ ad te pertinet, quia non monuisti me ut desisterem. Prolixiores literas non scribam, quia quum has accipies, eris adeo occupatus in spectanda pompa illa Veneta qua Rex Galliæ excipietur, ut defuturum sit tibi otium ad has perlegendas. Dedi ante quatuor dies ad te literas Domino de la Beurte, magistro supplicum libellorum in aula Regis Navarræ; quas spero tibi jam esse redditas. Ex eo, et melius ex clarissimo

mo Domino Pibraco, historiam migrationis ex Polonia intelliges. Feci mentionem tui apud Pibracum; cui vide, ut prorsus innotescas: nam Gallia non habet virum præstantiorem. Scripsi antea de Montmorino, quem scio esse tui amantem. Vide ut per ipsum Regi innotescas. In tanta turba et festinatione, quantam istic fore existimo, oportet nonnihil perfricare frontem: nam intempestiva verecundia sæpe est in causa, ut amittamus occasiones perficiendi id quod cupimus, et nostris rebus consulendi. Bene vale.

Viennæ, 2. die Julii 1574.

XXXVII.

JAm tradideram Domino Vulcobio posteriores meas literas quum tuas accepi, quæ me utcunque liberaverunt eâ suspicione quam de te conceperam. Denuo scribo nullis à te acceptis; sed non libet conqueri, quia id potius ascribo cursoris tarditati, quam tuæ negligentiæ. Tuis popularibus non bene successit, quod non sint sequuti meum consilium, de conducenda rheda: nam non potuerunt tam celeriter progredi, quam dux itineris, quem hic ipsis procuraveramus, cum equo, cui insidebat famulus, justo graviorem bulgam imposuisset; et Richardus laboravit alvi profluvio ita graviter, ut Pragæ de vita desperaverit, quamvis morbus non videretur medicis adeo periculosus, magisque metuebant illam animi ejus abjectionem quàm ipsum morbum. Tandem adductus est ad eum Jesuita, in cujus sinum cum animi recrementa (utinam et corporis) effudisset, visus est sibi minus oneris ad cymbam Charontis allaturus. Credo quod etiam testamentum condiderit. Cœpit tamen postea melius habere; et, mutato consilio de petenda Norimberga, constituit

constituit secundo Albi navigare Hamburgum, et inde in Angliam. Totus haud dubie cohorrescet ad Vitembergæ conspectum: nam est ad Albim, si forte veniat ei in mentem, ibi primum inflictum esse Pontifici Romano grave illud vulnus, quod ferro et flammâ, et aliis ejusmodi nefandis medicamentis, hactenus frustra conatus est curare, et adhuc conatur cum maximo orbis Christiani dispendio. Sed, proh dolor! jam est illius loci tristissima facies: nam lusciniæ, quæ suo suavi cantu incolarum et advenarum aures demulcebant, clangore et strepitu obscenarum avium aut inde sunt pulsæ, aut amissâ libertate cantus suos in gemitus et lachrymas converterunt. Sed longius me ab instituto abducit acerbissimus dolor, quem ex ea re sentio. Tuus Corbettus suum iter persequetur, et Pragâ Norimbergam contendet. Dedit ad me Pragâ literas, testes suæ humanitatis. Ad te etiam scripsit, sed literas hic tibi asservo: nam nisi mutasti consilium de repetenda Germania, si Venetis spectaculis et pompâ illâ qua Regem Galliæ excipient, animum tuum expleveris, tu haud dubie te itineri accinges, hæque meæ literæ post tuum discessum istuc præferentur. Sed mearum nugarum jacturam parvifacio: literas vero amicorum tuorum tibi perire nolo, quas ego tunc ad te mittam, ubi tui ad nos reditus spem omnem nobis præcideris. Polonicas res ex nostris Gallis audivisti. Quis non admiretur sapientiam et animi magnitudinem in vestris Italis? cum Ferrariensis ambiat regnum Poloniæ, antequam se eo abdicaverit? Promittit magnam vim auri, promittit etiam se Regiæ sororis littus araturum. Mopso forte Nisa dabitur. Si vel Germano homini, vel Gallo, vel Anglo, aliquid tale vel per somnium in mentem veniret, vos domini Itali risu dissiliretis, ejus stoliditatem admirantes. Verum putatis gentes transalpinas eam habere de vestra sapientia persuasionem,
ut

ut ne quidem ingenii aciem in veſtras actiones intendere audeant, ut in eas inquirant, et ita vos eſſe conſequutos aliquam deſipiendi prerogativam. Nos vero Burgundi, et Saxones, quamvis vervecum in patria nati, et qui tantum ſcimus ſcapham ſcapham dicere, exiſtimamus noſtrâ ætate neminem ſe ita mundo propinaſſe deridendum, ut iſte veſter novus candidatus regni Polonici facit. Largitionibus haud dubie oppugnabuntur animi Polonorum, qui ſi non ſe liberaliores exhibuerint in accipiendo, quam vos Itali in largiendo, ego judicabo eos eſſe omnium hominum ſtultiſſimos, ſed meo judicio, experiemini ipſos non laborare eo genere ſtultitiæ. Quoniam veſtri multa ſcribunt de tumultibus nuper excitatis in Moldavia, quorum pleraque ſunt falſa, volo tibi indicare, quid de ea re hic habeamus. Credo te antea audiviſſe quendam Joannem Armenium fretum auxiliis Turcicis ante biennium occupaſſe Moldaviam, pulſo Vaiuodâ, qui in ea regnabat. Alexander Vaiuoda Tranſalpinæ (quæ eſt altera pars Valachiæ) egit Conſtantinopoli, ut hic Armenius Moldaviâ pelleretur, et frater ejus Petrus in ipſius locum ſufficeretur: quod ubi audivit Armenius, Alexandrum repente invaſit ac profligavit, et Bocureſtum ejus regiam occupavit, ibique Vaiuodam conſtituit quendam Ventilam Petraſck. Verum Turcæ, collectis poſtea copiis, controverſiam hanc diremerunt; et miſerum Armenium deſertum à ſuis, Conſtantinopolim captivum abduxerunt. Moldaviæ autem præfecerunt Alexandrum quendam, hominem plane ſenem, qui ante multos annos ibi regnaverat: jamdudum autem à Turco aſſervabatur in turri quæ imminet faucibus ponti Euxini, quam nominant turrim maris Nigri. Dicunt multas naves Germanicas ex ea claſſe quam Hiſpani apud Cantabros inſtruunt, ſive ſuâ voluntate, ſive disjectas tempeſtate, appuliſſe in Angliam; ubi ſtatim fuerunt ita infectæ illo veſtro aëre

hæretico, et Hispanis infesto, ut inde in Zelandiam ad Gueusios navigaverint. Bene vale, et amicos saluta.
Viennæ, dec. die Julii 1574.

Mihi has literas jamjam obsignaturo redditæ sunt tuæ, quæ mihi eo nomine maxime placuerunt, quod scribas te consilium de adeunda Roma plane abjecisse.

XXXVIII.

NUper jocabar in morbo Domini Richardi, tui populaas et necessarii; nam ad me scriptum erat medicos ridere ejus pusillanimitatem, eo quod sibi tantopere metueret à morbo, à quo nihil ipsi periculi immineret; sed, proh dolor! ille imminens sibi periculum rectius conjecit quam ipsi medici, ut intellexi ex alteris literis nostri Corbetti, quas scripsit plane deploratâ valetudine Richardi; imo ipso jam animam agente, et à medicis deserto. Hæc sane res mihi magnum dolorem attulit: nam meus erga te amor cogit me dolere eorum calamitate, qui tibi aliquâ necessitudine sunt conjuncti. Sed et hoc mihi commiseratione dignum videtur, quod eripiatur patriæ in ipso ætatis flore, cum præsertim ingenium literis et multarum rerum cognitione excoluisset. Literæ Corbetti indicant eum esse animo perturbatissimo, quod non miror. Consulit me de suis rebus; et petit an institutum iter, amisso socio, persequi debeat, cum audiat conscribi militem iis in locis per quæ est iter facturus, omniaque ad Rhenum, et in Lotharingia, esse perturbatissima. Quoniam autem significaverat, se non discessurum Pragâ antequam responsum à me acciperet, rescripsi ei statim quid mihi videretur ipsi esse faciendum. Literæ

in

in quibus ſcribis, te omnem cogitationem de Romano itinere abjeciſſe, me magnâ ſolicitudine liberaverunt. Tu ſcis, me hoc unicum pro jure noſtræ amicitiæ à te petiiſſe. Sed vide ut promiſſum præſtes : nam literas tuas, tanquam debitoris ſyngrapham, diligenter aſſervo, ut poſſim tecum jure agere, ſi me fallas. Exanimatus fere ſum, quum in literis tuis legi te magnos capitis dolores ſentire, et aquam immoderate bibere, et parum abfuiſſe quin in pleuritidem incideris. Hoc, mi dulciſſime Sydnæe, et præſagii, et metui ; et propterea conſului ut illos tuos itineris comites expectares, modo ultra ſolſtitium diſceſſum ſuum non differrent. Jam vero à ſolſtitio præterierunt quinque et triginta dies ; et miror quo conſilio iter ſuum in Auguſtum rejiciant, cum eo menſe homines ſint maxime obnoxii morbis, et, ut ait Poeta, "Adducat febres, et teſta-"menta reſignet." Si me amas, cura diligenter tuam valetudinem ; et in ea re tui non aliorum rationem habeas. Si tibi quid triſtius accideret, nemo viveret me infelicius : nam ex nulla alia re voluptatem capio, quam ex noſtra amicitia, et ſpe quam de tua virtute concepi : patriæ enim exitium, et calamitates in quas amici mei recens inciderunt, faciunt, ut vita ſit mihi ipsâ morte triſtior. Puto Regem Galliæ properaturum in ſuum regnum : nam plurimi affirmant conſcribi in Germania militem, qui ſit ducendus in Galliam ; cui quidam præfuturum Caſimirum Palatinum dicunt, alii vero Condæum. Sed multæ difficultates intervenire poſſunt, quæ hoc totum eorum inſtitutum impediant ; cum præſertim à pecunia non ſint ſatis inſtructi ; et paucos habeant in Germania qui ipſorum rebus faveant. Gaudeo, quod innotueris D. Perroto, optimo ac humaniſſimo viro : quem peto, ut officioſe nomine meo ſalutes, ſi adhuc iſtic eſt. Credo vos ſaturos Venetis ſpectaculis, tandem ad nos venturos ; et ſane, ſi i-

ſtic eædem tempeſtates fuerunt quæ hic, vos neglexiſtis pulcherrimam occaſionem: nam immoderatus æſtus, qui toto Junio menſe nobis hic multum moleſtiarum attulit, ab aliquot diebus plurimum remiſit; ſed vereor ne rurſus intendatur. Excuſa me apud Illuſtrem Dn. Comitem, et ejus familiares, quod ad eos non ſcribam: nam non ſciebam ipſos iſtic tamdiu manſuros. Si dicant me debuiſſe idem de te ſentire, nihilominus tamen me meam ad te ſcribendi conſuetudinem non intermittere: reſpondeo, me parum curare jacturam mearum ad te literarum, cum plerumque nihil contineant præter nugas nugaciſſimas; hoc eſt meos ſtultos affectus, quos, ut ſeſe offerunt, in chartam effundo tantum ut eam commaculem, et tuæ curioſitati ſatisfaciam, quoniam vis à me literas habere. Præterea ſcripſiſti te diligenter caviſſe, ne meæ ad te literæ pereant, etiamſi iſtuc poſt tuum diſceſſum perferantur. Ego omnia fauſta et felicia tibi precor.

Viennæ, 17. die Julii 1574.

XXXIX.

BReves illæ literæ, quas à te poſtremas acceperam, me valde perturbaverant ob ea quæ de tua valetudine ſcripſeras; ſed eæ quæ mihi jam ſunt redditæ, me eâ ſolicitudine liberarunt. Miror te in iis nullam facere mentionem literarum quas ad te dedi Dn. de la Burthe, magiſtro ſupplicum libellorum in aula Navarrena, qui hinc ſtationariis equis profectus eſt Venetias, quo ſperabat ſe venturum tertio aut quarto die hujus menſis. Quoniam is venerat ex Polonia cum Rege, et mihi promiſerat ſe tibi narraturum totam hiſtoriam Regii diſceſsûs, ſeu fugæ, (ut alii loquuntur), ego de ea re ad te nihil ſcripſi. Tu videris mihi

eſſe

esse paulo durior in Pibracum. Ego soleo de hominibus aliter judicare quam plurimi faciant, nisi sint plane scelerati: nam talium vitia non puto esse dissimulanda. Decerpo virtutes, si quæ sint; et si qua in re vel errore, vel animi imbecillitate, peccant, illud tego quantum in me est. Pibracus est eo ingenio, et eâ eruditione, ac etiam eloquentiâ, ut nesciam an Gallia habeat ipsi parem. Summa est in eo humanitas, et juvat bonos quantum in se est; nec puto eum unquam fuisse authorem scelerati alicujus consilii. Eo die quo Rex in Senatu Parisiensi professus est Amiralium et socios suo jussu et mandato cæsos esse, Pibracus habuit coram eo luculentam orationem; qua monuit eum fere liberius quam ea tempora ferrent, ut cædibus modum imponeret, et finem faceret, quum reliqui assentarentur, et immane illud facinus laudarent. Reperti sunt in ejus ædibus Cavagnius, qui cum Briquemaldo est affectus supplicio, et Custosius, qui Argentorati professor est Jurisprudentiæ. Ea res pene fuit ei exitio: nam multi erant qui eum tollendum censerent. Coactus est vitam redimere eâ epistolâ, ob quam tam graviter eum accusas, quod ejus factum nequaquam laudo: nam (ut ait Poeta:)

—— Phalaris licet imperet ut sis
Falsus, et admoto dictet perjuria tauro,
Summum crede nefas animam præferre pudori,
Et propter vitam vivendi perdere causas.

Ego non sum Stoicus, nec credo æqualia esse peccata. Hoc est vitium nostræ gentis, ut si præstans aliquis vir erret vel in re levissima, eum statim numero sceleratissimorum hominum ascribat. Ego, et naturâ et vitæ instituto, sum ab ejusmodi judiciis alienus: quod scio multos in me reprehendere, et dicere, me hoc ha-

bere

bere à præceptore meo Melanchthone. Me nec præceptoris, nec instituti mei, adhuc pœnitet; nec me ab eo abducent reprehensiones eorum, qui naturâ sunt magis morosi aut acerbi quam ego sim. Si recte valuisses, querelæ tuæ de inhumanitate eorum qui te insalutato discesserunt, mihi risum commovissent. Tu, mi dulcissime Sydnæe, putas forte homines communiter præditos esse eâ humanitate qua tu es. Nisi mutaveris sententiam, nunquam deerunt qui tibi bilem commoveant, ac ejusmodi querelarum causam præbeant. Judico hoc tempore eos multum præstare, qui amicos non decipiunt. Si quid præterea humanitatis accedat, id in lucro ponendum est, tanquam aliquid quod vulgaris amicitiæ metas excedat. Tu tamen in posterioribus tuis literis videris bilem illam concoxisse, et passus esse tibi verba dari: ita ut quod mutari non poterat, tu ipse verbis emendes: quod consilium tibi sæpius usurpandum erit antequam ad meam ætatem pervenias: nisi forte velis ætatem in perpetuis rixis conterere. Resignavi Lobetii ad te literas, quia ita jubes, ac etiam Corbetti, quæ sunt vestrâ linguâ scriptæ: quare non potui eas intelligere. Puto tamen ipsum eadem de adversa Richardi valetudine scribere, quæ ad me scripsit. Lobetius scribit se diligenter de Auberio percontatum esse; sed nondum habere quicquam de eo compertum. Saluta D. Perrotum, quem volo liberare anxietate. Pontifex Romanus et Hispani persuadebunt huic novo Regi, nunquam fore ipsum extra periculum quamdiu in Gallia supererit aliquis ex nostris. Nostri vero non patientur se opprimi; et sic nullus erit finis malorum. Ego ignosco iis qui nondum per ætatem has res satis intelligunt; sed miror senes in reipublicæ administratione diu versatos: qui, cum videant ex quam tenuibus initiis nostri, post Parisiensem tragædiam, ad aliquam potentiam pervenerint,

rint, et suas opes ab eo tempore esse multum imminutas nequaquam ignorent, non tamen deponunt illud stultum consilium, se et nos simul perdendi. Bene vale, et amicos saluta.

Viennæ, 24. die Julii 1574.

XL.

MUlta mihi à tuo discessu venerunt in mentem, quæ ad te scribenda existimavi; sed statim, ubi calamum in manus sumo, et cogitationem in te intendo, ita perturbatur animus meus dolore, ut omnia, quæ præcogitaveram, mihi memoriâ excidant. Scribam tamen confuse quicquid mihi in mentem veniet. Biduo post tuum discessum, venit ad nos noster Wottonus, qui mihi attulit literas à Dn. Walsynghamo humanitatis plenas. Video vestros cœpisse aliquid suspicari de tua religione, eo quod Venetiis sis familiarius usus consuetudine eorum, qui religionem diversam à tua profitentur. Scribam de ea re ad Dn. Walsynghamum; et dabo operam, si quam ejusmodi opinionem de te concepit, ut eam ipsi eximam; spero autem tantum pondus apud ipsum habituras meas literas, ut non solum credat esse vera quæ ad ipsum de te scribam, sed etiam det operam ut idem aliis persuadeat. Interea moneo te, ut istic contrahas notitiam cum concionatoribus Gallicis, qui sunt docti et prudentes viri, ipsos ad te invites, et ad eorum conciones accedas; et idem facies Heidelbergæ et Argentorati. Cave autem ne te mea verba perturbent: nam credo te non dubitare de meo summo erga te amore, et quorum vita est, illustri loco posita, dare operam ut non solum culpâ, sed etiam culpæ suspicione, careant. Saluta Heidelbergæ Doct. Ursinum, præstantissimum virum,

ad

ad quem de te ſcripſi. Mittam tibi intra paucos dies literas ad Comitem Ludovicum à Witgenſtein, præfectum aulæ Palatinenſis, ut præbeam tibi occaſionem contrahendi cum eo amicitiam : nam eſt vir eximius. Habebis Argentorati noſtrum Lobetium, tui amantiſſimum; cujus conſilio in tuis rebus uti poteris. Sed mihi videtur conſultum, ut Argentorato in Burgundiam proficiſcaris, et inde recta Lutetiam contendas. Apud Helvetios viæ ſunt aſperæ et ſalebroſæ : quare, ſi eo iveris, metuo ne tui equi tam longi et difficilis itineris laborem non ferant; nec ſcio an tibi in aulam Gallicam ituro, ſit ſatis tutum multum converſari cum iis qui ſunt propter religionem ex Gallia profugi. Ubi in Angliam veneris, vide ut colas Cecilium, qui eſt tui amans, et tibi reddet omnia faciliora. Nullâ autem re ejus benevolentiam magis demereri poteris, quam ſi ejus liberos ames, aut ſaltem ſimules te amare. Verum memineris ſenem aſtutum, et longo rerum uſu edoctum, facile deprehendere adoleſcentum ſimulationes. Tibi etiam honorificum erit, colere amicitiam cum Domino Walſynghamo. Meminiſti quæ de ingenio et eruditione mei Beali ex me ſæpius audiviſti. Solent homines præclare ſentire de adoleſcentibus quos vident ſapientum virorum conſuetudinem expetere. Hæc tibi victuro in aula ſcribo; in quo genere vitæ majores difficultates experieris quam tui æquales, qui jam paternis facultatibus fruuntur : ſectari autem otium tibi parum eſſet decorum, cum adhuc ſis filiusfamilias.

Ut uno verbo dicam, oportet eum qui vult vivere extra contemptum in aulis potentum regum, moderari ſuos affectus, multas moleſtias devorare, ſummo ſtudio vitare omnes contentionum occaſiones, et eos penes quos eſt ſumma rerum colere. Sed deſinam tibi eſſe diutius moleſtus, cum hæc omnia melius quam

ego, intelligas. Gaudeo tuum Wottonum ad te venire, ut habeas jucundum, fidem, et amantem tui sodalem, qui tibi itineris tædium levet. Vellem Dominum Jacobum Gonsium, meum popularem, se vobis comitem adjungere. Nescio quam ob causam volueris Wottonum subscribere se testem in ea syngrapha, quam apud me reliquisti. Facis mihi injuriam, si existimas me cuiquam magis credere quam tibi. Ne turberis, si forte contingat, ut non possis præstare quod cupis, quantum ad pecuniam attinet quam à me accepisti : nec existimes meo erga te amori aliquid ob eam rem decessurum. Imo ego scribo ad Doct. Glauburgium, et ad Wechelum, ut tibi meâ fide pecuniam dent, si forte destituaris viatico ad reliquum tuum iter perficiendum. Scribam denuo post triduum. Bene vale, mi charissime fili.

Pragæ, 10. die Martii 1575.

XLI.

JAM fere abjicio spem omnem videndi te posthac : nihil enim literarum ex aula nostra accipio : imo, quod me non minus male habet, nihil de te audio, cum tamen existimem te ante octiduum Dresdam pervenisse, et accipere literas, et inde ad me scripsisse * * *, si intra tres aut quatuor dies, quibus mihi permitteretur istuc ire, ego me adhuc itinere committerem, quoniam spero te vix Francofurti discessurum ante finem hujus mensis. Triduo post tuum discessum à nobis, legatus Turcicus obtulit Imperatori literas et munera, sub horam quartam vespertinam. Nullam orationem habuit qua ea quæ sibi erant mandata exponeret : sed Imperatori dedit volumen Arabicis characteribus scriptum, longitudinis trium aut quatuor ulnarum, quod puto

continere conditiones infertas prorogationi induciarum. Compellavit Imp. linguâ Turcicâ; fed tamen poftea locutus eft Germanice cum Domino Tranfhemio, aulæ præfecto. Obtulit Imperatori, nomine Mahometis Baffæ, lagenulam plenam balfamo, et aulæa Perfica elegantiffima: fuo autem nomine tres cultellos, quorum capuli facti funt ex gemma feu lapide, quem nefcio quam vim in fe continere dicit. Donavit poftea Imperatrici, nefcio quod genus telæ pretiofiffimæ. Regi Hungariæ et Archiduci Ernefto donavit frameas, feu gladios Turcicos recurvos. Audiveramus prius ipfum donaffe Ernefto arcum: fed id non effe verum audivi ex iis qui viderunt munera. Cum acceffurus effet ad falutandum Regem Hungariæ et Archiducem Erneftum, fignificatum eft ei adfuturos Matthiam et Maximilianum fratres: qua re eft admodum perturbatus, eo quod nihil haberet quod ipfis donaret. Tandem venerunt ei in mentem elegantia quædam ftrophiola, quæ habebat inter fuas reculas, quæ deprompfit, et ipfis obtulit. Tranfhemio donavit equum. Nemini præterea quicquam donavit, quod fciam. Adhuc ignoramus quando fit dimittendus: A tuo difceffu Imperator laboravit per biduum ex calculo: fed jam convaluit. Cœpit agitari caufa religionis in conventu ordinum hujus regni: fed nondum fcimus quis futurus fit ejus rei exitus. Audio vix repertos quindecem ex baronibus et nobilitate qui fe pontificios effe profiterentur. Imperator (ut audio) totam hanc deliberationem de religione permifit ipforum ordinum arbitrio et voluntati. Nofter Thaddæus fe in hâc re virum præbet. Inibit haud dubie malam gratiam apud eos qui in aula plurimum poffunt, et forte apud ipfum Imperatorem. Non folos eos qui volunt imperare oportet fcire diffimulare: fed etiam eos qui principibus ita volunt infervire, ut ex fua induftria fructum ali-

quem

quem capiant: quod ego et Thaddæus nondum didicimus. Mitto tibi literas ad Illustrem Dominum Comitem Ludovicum à Witgenstein, virum præstantissimum, ut ex iis habeas occasionem ipsi innotescendi. Saluta Heidelbergæ, ut antea te monui, Doct. Ursinum; apud quem operam dabo ut literas à me invenias, et Argentorati apud Lobetium: nam quædam forte postea mihi venient in mentem de quibus sis monendus, quæ jam non succurrunt ob animi perturbationem et plurimas occupationes. Si veneris Basileam, invita ad te Dominum Bisetum, virum optimum et prudentissimum, et mihi charissimum. Dominum Harlæum salutabis Lutetiæ, vide ut eum tibi reddas familiarem. Multa, ut spero, audies ex eo, quæ scire nec ingratum nec inutile tibi erit. Scribo ad ipsum; sed habeo causas quare malim literas ab alio quam à te perferri. Mitto temere congestum indicem aliquot scriptorum, cui addes, aut detrahes, pro tuo arbitrio. Scribe ad Dominum Vulcobium. De tuis autem rebus, et quomodo iter tuum instituas, scribe ad me diligenter obsecro, et quæ habebis de rebus Anglicis; et sint tibi curæ literæ quas ad Dominum Walsynghamum scripsi. Ne te conjicias in magnas molestias meæ pecuniæ causâ: Imo, ut antea scripsi, si viatico destituaris, accede ad Doct. Glauburgium, aut ad Wechelum, a quibus petii ut tibi meo nomine numerent quantum satis sit. Dominum Wottonum et Grifinium, fidelem tuum ministrum, saluta meo nomine. Audio nostram Massiliam velle antiquam suam libertatem repetere. Hæc raptim. Bene vale, mi charissime fili.

Pragæ, 13. die Martii, 1575.

XLII.

Ludovico Comiti à Witgenſtein.

ILluſtris et generoſe Domine, dedi has ad te literas generoſo Domino Philippo Sydnæo, Anglo, ut ex iis haberet occaſionem ſalutandi te, et tibi ſua officia deferendi. Id eo libentius feci, quia ſpero tibi non fore ingratum hoc meum factum ubi tibi innotuerit: nam variarum rerum cognitione ingenium ita excoluit, ut fere non dubitem, quin ſis judicaturus eum ſupra ætatem ſapere. Natus eſt patre, qui ante aliquot annos miſſus in Hiberniam cum imperio, eam rebellantem domuit. Sed poſtquam inde exceſſit, denuo ſunt ibi excitati tumultus artibus Hiſpanorum, et imperitiâ eorum qui ipſi in præfectura ſucceſſerunt. Mater eſt ſoror Comitis Warvicenſis, et Roberti Comitis Leceſtriæ, qui cum careant liberis, hunc habent quem ut filium complectantur et ornent, cum videatur futurus eorum hæres. Splendorem quidem natalium, et ea quæ fortunæ bona nominamus, puto eſſe partem felicitatis quam homines in hac vita conſequi poſſunt: ſed profecto in hoc adoleſcente longe magis admiror ingenii vim, et indolem quæ non ſolum oſtendit flores, qui virtutis ſpem nobis faciant; ſed jam protulit fructus, qui forte tibi videbuntur non immaturi. Imperator fatigatus Bohemorum precibus, ſuam adamatam Auſtriam tandem deſeruit, et huc venit. Vereor ne ejus adventus non ſit futurus tam gratus Bohemis quam plerique ſperaverunt: nam ſtatim ubi factum eſt initium conventus, petiit ab ordinibus regni magnam vim pecuniæ ad numeranda ſtipendia militi qui

ad

ad fines Turcicos excubat, et ad dissolvendum æs alienum quod pater Ferdinandus reliquit. Bohemi responderunt, se expetivisse ejus adventum, ut mederetur malis cum quibus hoc regnum conflictatur, quod videtur minari ruinam, nisi salubre aliquod remedium mature adhibeatur; et propterea se mirari talia ab ipso proponi, seque judicare ejusmodi consilia proficisci ab hominibus peregrinis, qui de regni salute sint parum soliciti, et non ab ipsius Majestate; cum præsertim in postremo conventu, non solum verbo, sed etiam syngraphâ, suâ manu scriptâ, promiserit, in proximo conventu, primam fore deliberationem de gravaminibus regni, quæ tunc quidem ipsi fuerunt proposita; sed dixit, se non potuisse ea discutere, eo quod ob necessaria quædam negotia sibi esset in Austriam properandum: propterea se petere ab eo, ut sit memor eorum quæ promisit; et ut id ignoscat libertati quam in eo monendo usurpent, ad quod eos cura salutis patriæ adigat. Imperator respondit, se esse memorem promissorum, et velle præstare quicquid promisit; nec se offendi eorum libertate: sed petere, ut etiam sint memores eorum quæ ipsis proposuit. Jam de iis rebus deliberatur; et quantum ego conjicere possum, hic conventus in aliquot menses protrahetur. Primâ die hujus mensis Legatus Turcicus venit in hanc urbem, ubi exceptus est honorifice. Sextâ die accessit ad Imperatorem sub horam quartam vespertinam, et tradidit ei literas quas habuit à suo Domino, à Mahomete Bassa, et à Bassa Budensi. Tradidit ei volumen, quod postea vidi; in quo puto contineri conditiones insertas induciarum prorogationi. Erat volumen longum tres aut quatuor ulnas, et erat scriptum characteribus Arabicis. Dedit munera Imperatori, nomine Mahometis Bassæ; Imperatrici vero, ejus liberis, et Domino Transhemio, aulæ præfecto, suo nomine. Est natus

natus Ratisbonæ matre Viennensi; sed tamen est loquutus Imperatori linguâ Turcicâ, Transhemio vero Germanicâ. Est in eo dignitas formæ, et morum elegantia et gravitas. Habet secum quatuor aut quinque alios Germanos. Quæ hic habemus de induciis, et de mutatione facta in Imperio Turcico, commodius tibi indicabit Dominus Sydnæus quam à me scribi possint. Ego tibi omnia fausta et felicia precor.

Pragæ, 12. die Martii 1575.

XLIII.

ACcepi ante non multos dies literas quas ad me Antuerpiâ dedisti, quæ cum abunde testentur quanta sit tua erga me benevolentia, non potuerunt non esse mihi gratissimæ. Verum quando in illis intueor veram imaginem eximiarum virtutum, ex quibus conflatus est generosus tuus animus, judico me infelicem cui tuâ consuetudine et istis tuis virtutibus nunquam posthac frui licebit; et metuo, ne ista tua erga me benevolentia facile senescat, si eam nullo officio aut obsequio aluero: qua re nihil mihi acerbius contingere posset. Sperabam tibi non fore injucundum, si de rebus publicis interdum ad te scriberem, et præsertim de iis quæ in hac nostra vicinia geruntur; et propterea petieram à te, ut Antuerpiæ, vel Bruxellis, cum aliquo ageres, ut meas ad te literas mittendi curam susciperet; quod licet non feceris, nondum tamen mihi persuadeo te literas meas non expetere. Scripsi jam ad te aliquoties: sed quia literas meas hominibus mihi ignotis credidi, vereor ne tibi non sint redditæ. Inde autem conjicere potes, quanto studio tenear ad te scribendi, quod has meas literas mitto Viennam

ennam ad nostrum Clusium, ut eas, per amicos quos habet Antuerpiæ, ad te mittendas curet. Nactus sum hic, operâ cujusdam amici, acta conventûs nuper in Polonia peracti, quæ libenter ad te mitterem, nec existimarem tibi fore munus ingratum; sed non video qua ratione id facere possim. Quoniam autem multus est ubique sermo de iis rebus, et plurimi existimant à Polonis decretum esse interregnum, ita ut suum illum Regem amplius non agnoscant, dicam quid de ea re mihi videatur: nam loquutus sum cum plurimis qui interfuerunt ipsi conventui, cujus etiam acta legi. Ut id quod res est, uno verbo dicam, omnia fuerunt in eo conventu plena confusionum et dissentionum. Actum est aliquoties de alio Rege eligendo, idque publice denunciatum est: sed nunquam fuerunt concordes senatus et nobilitas, et inter Polonos et Lithuanos fuerunt perpetuæ dissensiones. Legisti literas quas superiore autumno Poloni ex conventu Warsaviensi ad suum regem miserunt, quibus satis rustice ei significabant, indictum esse conventum regni ad duodecimum diem Maii; intra quod tempus nisi in Poloniam rediret, se non amplius eum habituros pro Rege suo. Cum non accesserit, dicebant Poloni, ex decreto Warsaviensi, ademptum ei esse regnum, et propterea de alio Rege eligendo deliberandum esse. Lithuani contra dicebant, se non fuisse Warsaviæ cum factum est tale decretum, seque ejus authoritatem non agnoscere: quare necesse esse, ut communi omnium consensu aliud decretum fieret, quo Regi regnum adimeretur, antequam ad alterius electionem deveniri possit. Poloni vero judicabant se contra dignitatem suam facturos, si paterentur authoritatem decreti Warsaviensis revocari in dubium: quare id perpetuo urserunt, ut alius Rex eligeretur: quod tamen perficere non potuerunt. Semel quidem in id consenserunt Lithuani;

sed

sed eâ conditione, ut statim fieret electio: quod si factum fuisset, haud dubie electus fuisset Archidux Ernestus: eum enim expetebant fere omnes Lithuani, qui Polonos numero superabant. Habuit et suos fautores in senatu Polonico; sed nobilitas Polonica ei palam adversabatur, ac clamabat, se non admissuram regem Germanum. Legatus Polonicus reversus Constantinopoli, retulit ad senatum, Imperatorem Turcicum non fore Polonis amicum, si vel Moschum, vel Austriacum, eligerent: jamque convenire in Vallachia et Moldavia copias ad turbandam Poloniam, si id fieret. In ipso senatu lectæ fuerunt Mahometis Bassæ literæ, quarum exemplum vidi, quæ in eandem plane sententiam erant scriptæ. Solutus est conventus octavo die superioris mensis, nullâ re communi omnium consensu decretâ, aut peractâ: sub cujus finem plurimi testati sunt, se Regis sui authoritatem adhuc agnoscere: in qua sententia videtur fuisse Archiepiscopus Gnesnensis, qui est præcipuus regni senator: nam dixit sibi videri audiendos esse Regis oratores, et perpendendas causas ob quas dicit se non potuisse in Poloniam redire: nihil enim esse in tanta re temere decernendum, cum fuerit legitime electus. Adjecit, se suis manibus ejus capiti coronam imposuisse, eique jusjurandum præstitisse. Inde etiam conjicere licet, nondum esse in Polonia interregnum, quod oratores Cæsariani et Ferrarienses invitati ad exponenda suorum principum mandata, responderunt, se nihil habere quod dicerent, antequam certo constaret, decretum esse interregnum. Orator Suecus, in oratione quam ad senatores habuit, hortatus est eos, ne quid durius adversus suum Regem decernerent: sed si ipsis plane decretum sit alium Regem eligere, petiit ut sui Domini rationem haberent. Ita vides, Regi non esse ita ademptum regnum,

quin opus ſit alio decreto antequam ad alterius regis electionem deveniatur. Rex haud dubie conferet demortuorum dignitates et ſacerdotia, ut ante ſolitus eſt facere; quæ res turbis et ſeditionibus occaſionem tandem præbebit. Agnoſco infelix fatum noſtræ gentis, quæ non tantum in ſuam perniciem incumbit; ſed etiam dat operam, ut ſimul pereant ii qui benevoli erga eam animo fuerunt. Pibracus manſit in Polonia, ut ſuo Regi conciliet animos eorum qui ab eo ſunt abalienati: ſed videtur mihi provinciam duram ſuſcepiſſe, vel potius juſſus eſſe ſubire: nam errant noſtri, ſi exiſtimant, ſe aliquandiu poſſe potiri eo regno pacato. Scis quamdiu Imperator hic jam hæreat: nam eo die quo in hanc urbem tu et ego venimus, factum eſt initium conventûs; in quo hactenus nihil eſt peractum quod magni momenti eſſe videatur. Imperator nondum aperuit Bohemis ſuam ſententiam de confeſſione fidei, quam menſe Maio ei exhibuerunt: ipſi vero negant, ſe deliberaturos de conferenda pecunia, et de aliis rebus de quibus ipſos compellavit, antequam ab eo reſponſum acceperint. Jam vero interruptis deliberationibus, meſſis causâ, ad ſua redeunt, huc reverſuri ad decimum diem proximi menſis. Vix poterit hic rès ſuas expedire Imperator ante conventum Electorum, quem dicunt indicendum Ratiſbonam ad 26. diem Sept. Utinam uſque ad id tempus manſiſſes in Germania, nunquam te pœnituiſſet ſpectatorem fuiſſe celebritatis, ad quam convenient plerique principes Germanici, et multi præſtantes viri ex variis gentibus. Jam volo apud te accuſare meam ruſticitatem, ut nihil durius dicam. Quamdiu mihi licuit tuo conſpectu frui, non magnifeci illam tuam imaginem quam mihi donaſti, et vix pro eximio munere tibi gratias egi. Tui deſiderium fecit, ut, reverſus Francofurto, eam affixam tabulæ collocarem in loco ubi eſſet conſpicua.

Id ubi est factum, mihi visa est adeo elegans, et te ita exprimere, ut jam nihil habeam in meis rebus quod sit mihi eâ charius. Dominus Vulcobius ita ejus elegantiam admiratur, ut quærat pictorem, qui eam imitetur. Pictor expressit te subtristem et cogitabundum. Mallem fuisses vultu magis ad hilaritatem composito cum pingendum te præbuisti. Bene vale.

Pragæ, sexto die Junii, qui dies est festus Bohemis ob Joannem Hussum eo die affectum supplicio Constantiæ, ante centum et sexaginta annos. Ita autem celebratur ejus memoria, ut ea res aliquid superstitionis mihi habere videatur. 1575.

Saluta amicos, si qui adhuc istic sunt nostri memores, et præcipue Dn. Wottonum, fidum tuum itineris comitem.

Bebessius, exul Transylvanus, quem hic novisti, collecto raptim milite in Polonia et vicina Moldavia, ante viginti dies irrupit in Transylvaniam. Sunt qui dicant non paucos milites Cæsarianos ex præsidiis Hungaricis ad eum confluxisse. Vereor ne crabrones irritemus. Turcæ enim has res non negligent, cum in eorum clientela sit Transylvania.

XLIV.

QUæro, undecunque possum, levamen summo dolori quem mihi attulit tuus à nobis discessus: sed remedia quæ adhibeo, eum potius exacerbant, quam leniunt. Quandocunque enim venit mihi in mentem, quanta fuerit tua humanitas in perferendis molestiis, quas te perferre opportuit, dum una viximus, cum

non

non haberetur ea tui ratio quam decebat, totus dolore conficior, quoniam ſcio tuam erga me benevolentiam te in iſtas moleſtias conjeciſſe. Profectus ſum nuper Francofurtum, ut tibi mea obſequia deferrem, cum metuerem, ne tibi non ſatis eſſet conſultum à tuis: verum nulla ſe ibi obtulit occaſio aliquid præſtandi quod tibi eſſet gratum. Pavi quidem animum meum illo poſtremo tui conſpectu, et ex ea re maximam voluptatem cepi; verum idem mihi accidit quod ſolet accidere iis qui æſtuantes febre frigidam avide bibunt: dolorem enim meum brevis illa voluptas plurimum exacerbavit, ac contumaciorem reddidit. Superfuit mihi ſpes nonnulla alicujus ſolatii, eo quod diſcedenti à te promiſeris, te acturum Antuerpiæ cum quopiam, ut ıram ſuſciperet tranſmittendi literas quas tu ad me, el ego ad te ſcriberem, teque ejus nomen mihi ſignificaturum. At video me etiam à ſpe excidiſſe; nullas enim literas à te accepi, præter breves illas quas ad me Heidelbergâ dediſti. Forte metuiſti, ne te crebris meis literis obtunderem, et ad eas reſcribi poſtularem importunius, ut ſolebam dum in Italia viveres. Ludebam tunc tecum, ut te ad ſcribendum excitarem, exiſtimans illam ſcribendi conſuetudinem tuis ſtudiis plurimum prodeſſe. Jam vero longe aliud genus vitæ ſectaris. Scio aulam eſſe minime parcam temporis diſpenſatricem. Scio tibi obſequendum eſſe amicis et neceſſariis tuis, qui cupiunt frui tuâ ſuavitate, et colendos eos quos moris eſt coli à juvenibus ob ætatem et dignitatem. Itaque cum ſciam te non admodum delectatum eſſe ſcriptionibus, dum tibi ſuppetebat plus otii, credo crebras illas amicorum interpellationes facile impetraturas à te, ut vel raro, vel nunquam ſcribas. Ne ego quidem cupio tam ſæpe ſcribere, aut ad te mittere inanes et jocoſas literas, ut antea ſolitus ſum facere; verum conſtitueram ad te de rebus publicis ſcribere,

ſperans ejus argumenti literas tibi non fore ingratas, cum animadverterim te flagrare incredibili cupiditate cognoſcendi quis ſit rerum ſtatus apud eas gentes cum quibus eſt nobis aliquid commercii, et quæ mutationes ibi accidant; quæ cupiditas cum ſit magnâ laude digna, et fere neceſſaria iis qui ad rempublicam ſunt acceſſuri, nemo facile mihi perſuadebit te eam prorſus abjeciſſe. Si reſcripſiſſes, literas tuas accepi, fruor commodâ valetudine, uxorem brevi ſum ductu-rus, vel aliquid aliud ſimile, mihi abunde ſatisfactum eſſe putaſſem. Quod ſi ne id quidem libuiſſet facere, ſatis fuiſſet jubere tuum Griffinum hæc ad me ſcribere. Quamvis autem has meas literas ita incerto eventui committam, ut vix ſperem eas ad te perventuras, ſcribam tamen aliquid de rebus Polonicis, in quarum eventum ſcio erectos eſſe plurimorum animos. Audiviſti ſuperiore autumno decretum fuiſſe in regni conventu, ut Regi ſignificaretur, Polonos ſuſcepturos conſilium de alio rege eligendo, niſi rediret in Poloniam intra duodecimum diem Maii, ad quem diem tunc fuit indictus Stenziczium regni conventus. Ex Lithuania ad eum conventum miſſi ſunt legati, Koſkovicius, magnus Lithuaniæ Mareſchalcus, Radzivilius, et quidam tertius, cujus nomen jam non ſuccurrit mihi, qui ſtipati quinque aut ſex millibus equitum, venerunt Stenziczium nono die ſuperioris menſis. Proceres autem Polonici tantum numerum equitum eo adduxerunt, ut multi exiſtiment, hæc comitia fore frequentiora iis in quibus Rex eſt electus ante biennium. Scriptum fuit huc ex comitiis, factum eſſe decretum de interregno, ſeu novo rege eligendo, 21. die ſuperioris menſis, quod biduo poſt publicari debuit. Ea res noſtros hic in maximam ſpem erexit: nam qui eorum partibus ſunt addicti, ad amicos ſcripſerant, omnium fere vota in eos inclinare, ipſumque Imperato-

rem

rem expeti; ita tamen ut cuperent ipſum regnum adminiſtrari ab Archiduce Erneſto, tanquam à parentis vicario, quo poſſunt ejus ingenium et induſtriam explorare, et inde facere judicium an ſit futurum ex re ipſorum, eum poſt mortem parentis ſibi Regem deligere. Imperator delegerat legatos ad comitia Polonica, Epiſcopum Wratiſlavienſem et Mareſchalcum Moraviæ, apud quem fuimus; quos juſſerat ſubſiſtere Niſſæ, quæ non procul abeſt à finibus Polonicis, donec audirent factum eſſe decretum de interregno; ne videretur contra jus gentium alterius regnum ambire. Statim itaque, ubi eſt eis ſignificatum, factum eſſe decretum de interregno, progreſſi ſunt ad locum comitiorum: verum neſcio quî factum ſit, ut decretum illud non ſit publicatum eo die quo publicandum dicebatur: quæ res noſtras ſpes hic valde imminuit, et illam priorem alacritatem nobis ademit. Dicunt eo die redditas eſſe ſenatui Polonico à Pibraco literas, quibus ſignificabat, ſe quamvis in itinere in maximam calamitatem incidiſſet; properare tamen ad eos cum mandatis regiis, quæ ipſis non ingrata fore ſperaret: petebat autem ab ipſis, ut hanc ſuam moram boni conſulerent, cui præbuerit cauſam ſcelus latronum, à quibus in itinere ſit ſpoliatus. Venit huc Pibracus 28. die ſuperioris menſis, et poſtridie, Imperatore non ſalutato, diſceſſit; ita ut exiſtimem ipſum ad locum comitiorum jam perveniſſe. Fecit apud me honorificam tui mentionem, et dixit ſe dolere, quod per occupationes non licuerit ipſi Venetiis eam quam cuperet humanitatem tibi exhibere. Regnum Polonicum ambiunt Auſtriacus, Moſchus, Suecus, Tranſylvanus, Ferrarienſis, et aliquot proceres Polonici. Non ambit quidem noſter Rozenbergius Bohemus, niſi forte id clam faciat; nihilominus tamen audio ipſum habere plurimorum ſtudia. Turcicus Imperator ſcripſit Polonis, ipſos recte

facturos,

facturos, si Suecum vel Transylvanum, vel aliquem ex suo corpore, regem eligerent; caverent autem, ne quem ad regnum eveherent, cum quo non posset fœdus inire, aut amicitiam colere; innuens, ut existimo, Austriacum et Moschum. Qui regnum ambiunt, pecuniâ inter se certant, tanquam esset auctioni propositum; suntque ita venalia plurium suffragia, ut credam fore rarum felicitatis exemplum, si Poloni his moribus suam rempublicam diu incolumem servaverint. Aiunt Ferrariensem uno Koskovicio Lithuano promisisse sexaginta millia coronatorum, si ejus operâ regnum adipiscatur. Audio ipsum etiam simulare se flagrare amore illius vetulæ virginis, educatæ in schola Bonæ matris, et scribere ad eam literas amatorias, ineptiarum plenas. Quibusdam (ut aiunt) inseruit se hactenus non minus fortiter militasse Veneri quam Marti, seque constituisse illud suum institutum perpetuo urgère. Vides stultitiam ipsas etiam Alpes transvolare, et habere in Italia suas clientelas. Hodie advenit quidam ex Polonia, qui affirmat in comitiis nihil esse actum, eaque rejecta esse in aliud tempus: quod si est verum, jam peractus est primus actus fabulæ, de novo rege eligendo. Cogita quantum pecuniæ impendendum erit iis qui ambiunt, antequam ad catastrophem deveniatur. Galli dicunt se in Poloniam mittere ter centena aureorum millia: quod si est verum, quis tantæ scutatorum multitudini resistet? Sed unde tantum pecuniæ in tanta egestate? Impetrarunt tamen literas ab Imperatore, quibus mandatur ordinibus imperii, ut liberum transitum per suos fines concedant iis qui eam pecuniam vehent. Poloni habent oculatas manus; nec patientur sibi in re pecuniaria verba dari. Meministi, dum hic esses, cœpisse agitari causam religionis; et Imperatorem initio ita respondisse iis qui jugum pontificium

pontificium excusserunt, ut conceperint spem se quidvis ab eo impetraturos. Jam vero ipsorum spes sunt nonnihil labefactatæ, cum Imperatori ante aliquot dies suam fidei confessionem exhibuerint, nec adhuc quicquam responsi ab eo acceperint. Credo Imperatorem respicere ad comitia Polonica, et metuere si eis concedat libertatem quam petunt, ne offendat Romanum Pontificem, cui scit longas esse manus. Ejusmodi perplexa consilia raro sortiuntur felicem exitum. Bohemi negant se deventuros ad deliberationes de conferenda pecunia antequam responsum ab eo acceperint. Indicetur conventus electorum, ut speramus, ad finem Septembris. Jam convenerat inter ipsos electores et Imperatorem, ut indiceretur Francofurtum ad 25. diem Julii: verum Imperator ipse petiit, ut rejiceretur in autumnum, et Ratisbonam indiceretur, cum ob tenuem valetudinem et impendentia à Turcis pericula, sit ipsi valde incommodum tam procul à sua ditione discedere. Jam in id consenserunt duo nobis vicini electores. Quid sint facturi Rhenani nondum certo scimus, quamvis speremus ipsos in ea re obsequuturos Imperatori. Si vel in Gallia, vel in aliqua alia parte nostri orbis, mansisses, sperarem te posse ad eum conventum pertrahi, cui haud dubie intererunt præcipui principes imperii. Non fuisset tibi injucundum spectare ceremonias, quibus utuntur Germani in electione sui principis. Sed nemo impetrabit à te trans æquora verso, ut te pelago denuo committas. Sirenes patriæ non patientur, ne quidem per somnium hæc tibi in mentem venire: nam non dubito te jam totum cohorrescere, quandocunque in animum tuum recurrit inhumanitas qua sumus erga te usi. Etiamsi vix sperem has meas literas ad te perventuras, non potui tamen me continere, quin istos stultos meos affectus in eas effunderem, et meo more tuâ humanitate abuterer.

rer. Cum autem nihil aliud tuâ causâ facere possim, oro Deum omnipotentem, ut te felicitate patriæ, et patriam tuâ virtute, diu frui permittat. Bene vale.

Pragæ, die Solstitii 1575.

XLV.

DOlori quem ex tua absentia sentio, magnum levamen attulerunt literæ quas ad me mense Junio Londino dedisti; quibus me certiorem fecisti, te non solum pericula, quæ in itinere occurrére solent, feliciter superasse, sed etiam te tuæ valetudini esse pene restitutum. Eam autem testificationem tui erga me amoris continent, et adeo eleganter et ingeniose sunt scriptæ, ut me in tui amorem et admirationem facile pertrahere potuerint, nisi morum tuorum suavitas, judicii gravitas, et rerum major peritia quam ista tua ætas ferre videatur, id antea præstitissent. Scio pene ridiculum esse petere à te, ut inter aulæ tumultus, et tot occasiones tempus inutiliter collocandi, linguæ Latinæ exercitium non omnino intermittas: verum quia literæ illæ testantur, quantos progressus in ea feceris, et quantum scribendo valeas, quando libet ingenium intendere, si ejus rei studium prorsus abjeceris, vix potero me continere, quin tibi objiciam te mollitie animi, et amore otii, id facere. Vide quam tibi gratiam referam pro suavissimis tuis literis, qui coner tibi persuadere, ut ea amplectaris quæ quando amplectuntur tuæ conditionis homines, plerisque videntur sensu communi carere. Sed jam desinam te istis meis nugis molestiâ afficere. Scripsi antea Gasparem Bekessium profugum ex Transylvania, quem hic exulantem vidisti, collectis raptim copiis, irrupisse in Transylvaniam, ut Stephanum Bathori, qui jam ibi regnat,

gnat, de principatu deturbaret. Sciebat exosum esse ejus imperium Siculis illis agrestibus qui incolunt montana Transylvaniæ ad Orientem et Septentrionem versus Moldaviam; et propterea eorum, ad se defectionem sibi promittebat. Verum Vaiuoda præcavit ne id fieret: nam statim ubi audivit ipsum arma corripuisse, vocavit ad se omnes Siculorum magistratus, et eos tradidit custodiæ. Ita factum est ut homines barbari destituti suis ducibus, se commovere non potuerint, cum præsertim Bekessius procul ab eorum finibus copias duceret. Conciliaverat sibi Bekessius animos plurimorum ex nobilitate Transylvanica, qui ad primam famam susceptæ ab eo expeditionis ad eum transfugerant. Conflatæ autem erant ejus copiæ ex Germanis, Hungaris, et Polonis, quibus aliquot Turcæ et Valachi, prædandi studio, se admiscuerant. Plerique Germani fuerunt veterani milites, qui ex præsidiis Hungaricis ad eum confluxerant. Sub initium expeditionis res satis feliciter ei successerunt: nam aliquot oppida ad eum defecerunt; et, nemine obsistente, in mediam Transylvaniam progressus est, parumque abfuit quin Vaiuodam imparatum opprimeret. Conveniebant Vaiuodæ copiæ ad Albam Juliam, quæ est ipsius regia: quo quantâ potuit celeritate contendit Bekessius, ut cum eo confligeret, licet numero militum esset ei longe impar; nam audio ipsum vix habuisse tria millia militum; Vaiuodam vero habuisse ad decem aut duodecim millia, et aliquot majora tormenta, quæ non fuerunt minima causa victoriæ: quoniam plurimum damni Bekessii militi intulerunt, antequam manus cum hoste conserere potuerit. Germani qui Bekessio militabant, fortissime pugnaverunt, et sunt fere omnes interfecti. Polonis et Hungaris equorum pernicitas fuit saluti. Ipse Bekessius fugâ se recepit Baniam, quæ est ad Septentrionem Transylvaniæ. Quonam autem in-

de pervenerit hic adhuc ignoramus. Desiderati sunt ex ejus exercitu mille milites, qui partim fuerunt cæsi, partim capti ab hoste. Venerunt in potestatem Vaiuodæ ad viginti ex præcipua nobilitate Transylvaniæ, qui ad Bekessium defecerant, aut antea fuerant profugi ex patria: inter quos maximi nominis est Joannes Kendi, filius illius Francisci Kendi quem Imperator Ferdinandus præfecit Transylvaniæ, cum eam, proditione Georgii Monachi, Episcopi Varadini, in suam potestatem redegisset. Bassa Themeswariensis miserat auxilio Vaiuodæ quadringentos equites Turcicos: verum Vaiuoda jussit eos subsistere ad fines Transylvaniæ, cum existimaret sibi non esse necessariam eorum operam; nec (ut puto) cuperet ejusmodi hospites suæ ditioni assuescere. Talem exitum habuit Bekessii expeditio: qui quidem coactus est confligere cum hoste, licet eum se validiorem esse sciret, quia videbat copias suas paulatim dilabi, et sui adversarii augeri; et metuebat ne (quod sæpe solet ab illis gentibus fieri) milites, ipsius deditione, liberarent se a periculo in quod eos conjecerat. Hæc autem infelix expeditio videtur nobis conflavisse bellum in Hungaria; ex quo vereor ne non possimus nos facile explicare. Turcæ enim existimant se esse a nobis bello lacessitos; nam dicunt ab Imperatore summissum esse Bekessium ad turbandam Transylvaniam, quæ est in ipsorum clientela; quare, ut eam injuriam ulciscantur, irruperunt in nostram Hungariam magno numero, et jam quatuor arces nobis ademerunt, quarum nomina sunt Blaustein, Dyrvyn, Kerpen, et Fonod. Fonod est ultra Danubium ad lacum Balatonem, non procul a Vesprinio; reliquæ tres sunt cis Danubium. Blaustein et Dyrvyn pertinuerunt ad Joannem Balassi, quem nosti; cujus etiam filius unicus dicitur venisse in potestatem Turcarum. Doleo vicem miseri senis, quem semper magnifeci, ex quo im-

mortalibus

mortalibus illis bastonatis contudit arrogantiam et insolentiam Hispani a quo injuriâ fuerat affectus. Magna est trepidatio in Hungaria, Turcis impune omnia diripientibus: nam ipsi Rubero et aliis præfectis Cæsarianis mandatum est, ut se intra loca munita contineant, cum non sint ita instructi milite, ut hostium incursiones reprimere possint. Miseri coloni fugiunt in Austriam magno numero; nec tamen facile in urbes admittuntur. Conscribitur quidem miles Viennæ, et in Silesia, qui ipsis subsidio mittatur; sed potius ad firmanda oppida validioribus præsidiis, quam ad constituendum exercitum qui opponatur viribus Turcarum, quorum copiæ in dies augentur, Beglerbeio Greciæ militem summittente, ex Bulgaria, Servia, Rascia, et Bosnia. Graviter hic accusant Ruberum, quem dicunt, inconsulto et inscio Imperatore, conatus Bekessii adjuvisse; quæ res nobis hoc bellum peperit. Dabitur quidem opera ab Imperatore ut hoc incendium restinguatur antequam latius serpat; sed tamen ante hyemem vix poterit Hungariæ restitui sua tranquillitas, cum hoc negotium transigendum sit Constantinopoli, et opus sit ad id perficiendum non parvo tempore. Hispani et Itali nihil intentatum relinquent quo persuadeant Turcis, ut, deposito studio belli navalis, vires suas in nos convertant, ut eâ ratione bellum a se derivent: verum, cum nec ætas, nec valetudo Imperatoris, nec aliæ rationes ejus ferant, ut se bello tam periculoso implicet, spero ipsum nihil non facturum quo pacem redimat, et potius de suo jure aliquid cessurum, quam ut bello contendat cum hoste cujus ea est potentia, ut de eo victoria vix sperari possit. Si Hispanis et Italis Turcæ nihil facesserent negotii, illi haud dubie omnes suas vires converterent, ad opprimendum eos qui puriorem religionem in Gallia et in Belgio profitentur: quibus oppressis, nescio quamdiu vobis lice-

ret isto vestro opimo otio frui. Scripsi de rebus Polonicis ante non multos dies, et ad te misi acta conventûs Stenziczienfis, in quo videtur summo studio id esse actum, ut nihil ageretur: Lithuani discesserunt à Polonis, animis ita abalienatis, ut vix sperem eos posthac ad ipsorum conventus reversuros. Ab eo tempore Poloni habuerunt suos particulares conventus, ut loquuntur, in quolibet Palatinatu. In quibusdam exauthoraverunt suum Regem, et decreverunt interregnum, ut in Cracoviensi. In aliis facta sunt alia decreta. Petrus Sborowsky, Palatinus Cracoviensis, curavit decretum de interregno, et Rege exauthorato, promulgari Cracoviæ decimâ quintâ die superioris mensis: usus in ea re operâ calonis, seu bajuli, ut ignominiâ majore Regem afficeret. Refert eam gratiam quam debuit Regi, qui eum prætulit multis præstantibus viris qui Palatinatum illum una cum eo ambiverunt. Sborovius est ex eo genere hominum quibus Cæsar dicebat opus esse bello civili, et qui, ut dicebat Otho, satius esse judicant cadere in acie quam in foro sub creditoribus. Verum Rex existimavit ejusmodi hominibus sibi maxime esse opus, quos credebat largitionibus induci posse ad quidvis committendum adversus patriam. Cum vero jam nobis desit quod donemus, et verbis id conemur perficere quod antea pecuniâ perficiebamus; non mirum est nostram eloquentiam factam esse parum efficacem, et Sborovios ac Laskios faciles aures nobis non præbere. Habebunt denuo Poloni suos particulares conventus ad quintum diem proximi mensis. Archiepiscopus Gnesnensis, qui est præcipuus regni senator, et habet jus convocandi senatum, indixit generalem conventum Warsaviam ad tertium diem Octobris; in quo deliberetur quomodo sit cum Rege agendum, et in quo, communi omnium consensu, dicatur dies comitiis ad alium regem eligendum, si hic nullam spem sui ad eos reditus faciat. Poloni

loni dicunt Archiepiſcopum hæc in Regis gratiam facere; et plerique negant, ſe ad alium conventum venturos quam ad eum qui regis eligendi causâ indictus erit. Etiamſi Warſaviæ conveniant Poloni, Lithuani certe eo non venient, ut ſatis ſunt teſtati quando Stenziczio diſceſſerunt; et ita ſcindetur regnum illud in quo ſunt eæ animorum diſtractiones, et ita invaleſcunt factiones, ut videatur mihi gens illa properare ad ſuum exitium. Qui puriorem religionem profitentur, cupiunt Piaſtum eligere, qui ſit noſtræ religionis. Id nunquam ferent pontificii, à quibus noſtri conſilio et induſtriâ facile ſuperabuntur; quod ſi ad arma deveniatur, Pontifex Romanus Acheronta movebit, ut ſuis ſubveniat. Vicini autem principes qui noſtræ religioni ſunt addicti, parum ad ſe pertinere putabunt noſtrorum oppreſſionem in Polonia, cujus erunt otioſi ſpectatores. Turcæ non ferent ut Moſchus vel Auſtriacus eligatur; et cum jam habeant copias in Hungaria, terrorem incutient Polonis. Audio Moſchum hortari Polonos ut Auſtriacum eligant; et promittere, ſi id faciant, ſe initurum cum ipſis fœdus adverſus Turcas et Tartaros. Ego profecto vereor ne omnes hæ vicinæ nobis gentes magnis calamitatibus involvantur, ſi de Polonia armis certetur: quod mihi futurum videtur. Expectamus hic Laſcium et quoſdam alios proceres Polonicos; quibus, ex mandato Imperatoris, jam ſunt præparata hoſpitia. Dicebantur venturi ante quinque aut ſex dies: neſcio quid intervenerit quod eos remoretur. Quam ob cauſam huc veniant tu ipſe conjicere potes. Faxit Deus ut de eo regno aliquid conſtituatur quod ſit ſalutare orbi Chriſtiano. Ut jam ſunt res Polonorum, ego puto eos non poſſe ſuis rebus melius conſulere quam ſi eligant Auſtriacum: nec ita metuendos Turcas putarem, ſi fida eſſet Moſchi ſocietas. Imperator jam obruitur multitudine negotio-

rum:

rum : nam in idem tempus incidunt Hungarica, Polonica, et Bohemica, et jam instat conventus Ratisbonensis, ante quem vix poterit hic sua expedire. Ipsi autem et toti aulæ erit valde grave huc Ratisbonâ redire, præsertim si Hungarici tumultus interea non conquiescent. Nondum hic deventum est ad deliberationes de conferenda pecunia quam ab ordinibus regni petiit (Imperator dum adhuc hic nobiscum eras : quia autem pecunia quam petit videtur ingens istis hominibus, deliberatio de ea re non parum difficultatis habebit. Jam etiam petit Imperator ut filius ipsi in regno surrogetur : de qua re vereor ne oriatur gravis disceptatio, cum dicat regnum ad suos jure hæreditario pertinere : Bohemi vero id nequaquam fateantur. Male habet eos qui puriorem religionem profitentur, quod nondum ipsis exposuerit Imperator suam sententiam de confessione fidei quam ei ante tres menses exhibuerunt : quare se minus faciles ei præbent in iis quæ cupit ab ipsis impetrare. Cogetur quidem intra paucos dies suam sententiam proferre ; sed vereor ne sit ejusmodi ut à plurimis non probetur, cum Pontificem Romanum in consilium de ea re adhibeat, et ne inde oriatur contentio. Ad hæc incommoda accedit quod superioribus diebus gravissime conflictatus est cum adversa valetudine : varii enim morbi uno et eodem tempore eum corripuerunt, et fere oppresserunt : quibus quidem, Dei beneficio, jam est liberatus ; sed ita sunt prostratæ omnes vires corporis ejus, ut opus sit multo tempore antequam se plane colligere possit. Ego oro Deum omnipotentem, ut eum nobis diu incolumem servet : nam si quid ei jam humanitus accideret, id non fieret sine maximo reipublicæ Christianæ incommodo. Sub id tempus quo Viennâ discessimus, scripsi ad Dn. Davidem Ungnadium, Cæsareum oratorem in aula Ottomannica ; et petii ab eo, ut de ingenio

nio et moribus hujus novi Principis Amuratis ad me ſcriberet : quod nuper fecit diligentiſſime. De ea re forte aliquid poſtea ad te ſcribam : video enim me eſſe ineptum qui meas literas alioqui inſuaves, nimiâ prolixitate inſuaviores reddam ; nec cogitem tibi non deeſſe amicos à quorum jucunda conſuetudine earum lectio te aliquandiu abducet : nam vix fieri poſſe puto quin elegantiæ aulicæ et ſodalitum ſuavitas ita animum tuum emolliverint, ut hæc noſtra jam faſtidias ; aut ſaltem cum tædio et moleſtia legas. Adjiciam tamen ex literis D. Ungnadii, etiamſi forte id aliunde habeas, Cicalam Genuenſem, qui vix egreſſus annos adoleſcentiæ, factus eſt præfectus Prætorianorum, ſeu Aga Janizzarorum, (ut loquuntur), in tanta eſſe gratia apud Amuratem, ut dicatur ei daturus in uxorem filiam, quæ annos undecim tantum eſt nata. Talibus illecebris oppugnabuntur animi Italorum, et invitabuntur ad prodendam patriam ; et ſane metuo ne plurimorum pietas talibus machinis non difficulter expugnetur. Nuper, ut audio, præfectus eſt Alexandriæ Ægypti quidam Mantuanus, qui ante novem annos captus ad Ziſſetum, defecit à religione Chriſtiana ad Mahometanicam. Principes Italici videntur hæc parum curare, cum ſuſcipiant inter ſe nugaciſſima certamina, et ambiant regum titulos ; imo (ut audio) ſunt inter eos qui ambiunt ut regia dignitas attribuatur eorum ditionibus, quæ forte convertentur paulo poſt in Beglerbejatus aut Sangiacatus. Miror iſtud novum genus inſaniæ : nam de ejuſmodi nugis tanto conatu in hac aula agitur ab ipſis, ut nobis ampla materia ridendi præbeatur. Faxit Deus ut novum iſtud inſtitutum de conjugio, noſtro Wottono juveni optimo feliciter ſuccedat. Is præit tibi exemplo ; ſed credo tibi ſponte properanti non eſſe opus monitore. Vides quo progrediar ſtudio nugandi tecum, quod fere non permittit ut finem ſcribendi

ſcribendi faciam. Habeo pro ſummo beneficio quod illuſtres tui parentes me ſuâ benevolentiâ dignum judicaverunt. Utinam aliquâ re teſtari poſſem me eſſe cupidiſſimum ipſis inſerviendi. Bene vale, et amicos ſaluta.

Pragæ, Idib. Auguſti 1575.

Deſcripſi tibi pugnam in qua cæſæ ſunt copiæ Bekeſſii, ut hic habuimus ex literis eorum qui ex Hungaria de ea re primi ſcripſerunt. Jam vero accepi literas ab amicis Hungaris et Tranſylvanis, quorum aliqui tibi non ſunt ignoti, qui rerum momenta diligentius et certius deſcribunt: quod ideo adjicio, quia id tibi non fore ingratum ſpero. Metui etiam ne me accuſares, quod incerta pro certis ad te ſcripſerim: quamvis ſane habuerim ea quæ ſcripſi ab iis qui hic videntur iſta maxime curare: ſed quia locorum et regionum ſunt minus periti, facilius hallucinantur quam ii qui illis in locis ſunt nati. Poſtquam Bekeſſius tranſegit in Hungaria cum milite qui eum ſequi debuit, ſignificavit Tranſylvanis, qui cum eo conſpiraverant, diem quo ad ipſum venirent in oppidum Zakmar, ut, conjunctis copiis, inde in Tranſylvaniam progrederentur. Ea autem res tanto ſilentio eſt acta, ut venirent ad fines Tranſylvaniæ antequam eos convenire ſciret Vaiuoda: qui re inopinatâ perturbatus, accerſivit ad ſe Lipâ, et ex vicinis locis, octingentos Turcas, (alii ſcribunt mille), quibus menſis unius ſtipendium prænumeravit. Suis autem ſubditis mandavit ut armati ſtatim accurrerent, et (ut antea ſcripſi) Siculorum ſeu Cæculos magiſtratus et præfectos tradidit cuſtodiæ, ne populus, quem ſciebat addictum Bekeſſio, convenire poſſet, et ad eum proficiſci. Bekeſſius magnis itineribus contendebat Albam Juliam, ubi conve-

niebant Vaiuodæ copiæ, quem ſperabat ſe imparatum oppreſſurum : verum ubi animadvertit eum habere copias validiores ſuis, cœpit retrocedere eo animo ut ſe ad Siculos reciperet. Id ubi intellexit Vaiuoda, curavit ut majorum fluminum pontes dejicerentur, et viarum anguſtiæ obſiderentur à ſuis, et ita Bekeſſius intercluderetur : quem cum ſuis copiis ſequutus octavâ die ſuperioris menſis ad S. Pauli Caſtellum in ripa Maryſſii fluvii, quinque milliaribus ab oppido Torda. Uterque ibi caſtrametatus eſt ; et eo die ac ſequenti commiſſa ſunt inter ipſos leviora certamina. Decimâ die commiſſum eſt prælium. Germani et Burgundi, quos eo miſerat noſter Rouſſellus, primi Tranſylvanos tanto impetu invaſerunt, ut eos loco nonnihil cedere coegerint ; ſed diſploſis in eos majoribus tormentis, quibus abundabat Vaiuoda, magna ſtrages eorum eſt edita ; et cum ſuperveniſſet ſecunda acies Tranſylvanorum, coacti ſunt pedem referre ; ita tamen ut nihil indignum viris fortibus committerent. Hungari et Poloni, ubi viderunt ſuorum aciem inclinatam, non ſubvenerunt ipſis, ut decuit eos facere, ſed ſe cum ſuo Bekeſſio fugæ commiſerunt, ut eâ ratione ſuæ ſaluti conſulerent. Itaque miſeri Germani et Burgundi, deſerti à ſociis, omnes fere ſunt interfecti aut capti. Vaiuoda inſecutus eſt fugientes per quatuor milliaria Hungariea, et ex iis plurimos interfecit. Dicuntur periiſſe ex Bekeſſianis in pugna et in fuga non pauciores mille, et exercitu Vaiuodæ non plures viginti. Capti ſunt ex præcipua nobilitate Tranſylvanica Joannes Kendy, Georgius Patochi, et Joannes Harynnyay, affinis Bekeſſii, quorum bona ſunt adjudicata fiſco, ſicut et aliorum omnium qui ad Bekeſſium defecerant, et una cum eo aufugerunt. Scribunt Tranſylvanum redemiſſe ſuâ pecuniâ à Turcis plures Germanos, quos ſuæ libertati reſtituit ; et dediſſe ipſis Turcis quadra-

ginta millia aureorum, ut suorum subditorum agris parcerent. Bekessius cum pluribus fugit primo Keres Baniam, et inde Zakmarum, cum paucis. Zakmaro contendit Cassoviam ad Ruberum, à quo non fuit admissus, et propterea recepit se in Eperies ad fines Poloniæ. Hæc addidi sub noctem, nullum facturus scribendi finem si tempus suppeteret. Iterum vale.

XLVI.

SI, ut promiseras, egisses Antuerpiæ cum aliquo de curandis nostris literis, jam non cogerer Hamburgum has meas mittere, quæ vel forte nunquam tibi reddentur, vel adeo tarde ut sit peritura omnis gratia eorum quæ de rebus Polonicis ad te mitto: quæ tamen ut consequerer mihi fuit plurimum laborandum; et si celeriter ad te perferrentur, possent occurrere multis fabellis quæ de conventu Stenzicziensi jam sunt confictæ, et cum ubique disseminentur, non dubito quin ad vos etiam tandem perveniant. Hoc scriptum est instar diarii quod scriptum est ab aliquo qui deliberationibus ipsis interfuit, et ad Imperatorem missum; quod ubi legeris, non poteris satis mirari illorum hominum stultitiam, qui cum convenissent ut agerent de rebus maximis, et quæ ad reipublicæ salutem pertinebant, nihilominus totum illud tempus quo una fuerunt, contriverunt inanibus concertationibus, et tandem discesserunt rebus longe magis perturbatis quam essent ante conventum. Poloni tuebantur pertinaciter authoritatem decreti facti Warsaviæ superiore autumno; et dicebant eo ipso Regem esse exauthoratum, quod ad conventum Stenzicziensem non venisset: nam id continebat decretum Warsaviense, quod ad ipsum

sum missum fuit in Galliam. Lithuani respondebant, se non interfuisse conventui Warsaviensi; et propterea se non agnoscere authoritatem decreti ibi facti; nec sibi debuisse tantum sumere Polonos, ut de tanta re, ipsis inconsultis, decernerent: quare petebant, ut, omisso decreto Warsaviensi, de exauthorando Rege deliberaretur. Poloni vero existimantes convelli suam authoritatem Lithuanorum petitione, dicebant, Regem esse exauthoratum; nec de ea re amplius esse disceptandum, sed alterum esse eligendum. Totum tempus conventûs ejusmodi altercationibus et rixis contriverunt; et tandem, nullâ re peractâ, discesserunt. Ita videtur Regi in eo conventu res ex animi sententia successisse: quamvis sane sit infelix ille successus, quo gens de ipso bene merita in maxima pericula conjiciatur; nec ex ea re quicquam sperare possit præter infamiam, et ingens ac perpetuum odium illius gentis adversus Gallicam: imo, si rem introspiciamus, videbimus Regem vere regno excidisse: nam etiamsi conferat dignitates et sacerdotia demortuorum, tamen id ab eo frustra fit: nam Poloni non patiuntur eorum possessionem adipisci illos in quos ea contulit. Scripsi antea aliquid de Gasparis Bekessii expeditione in Transylvaniam. Hodie huc allatum est, copias ejus cæsas esse à Transylvano; et Turcas conqueri de nobis, et dicere violatas esse inducias, quia nostri eorum clienti bellum intulerint. Dedi has literas Doct. Joachimo Mollero, qui ante annum fuit tecum Viennæ in publico diversorio. Est vir doctus et pius, et cui res Germanicæ sunt bene notæ. Si Serenissimæ Reginæ opus esset viro aliquo qui res ejus in Saxonia procuraret, hic ad id maxime idoneus videretur: nam est in rebus agendis exercitatus; et est notus principibus, et apud plerosque valet authoritate. Frater ejus gerit consulatum in republica Hamburgensi. Defert autem

tem Sereniſſimæ Reginæ ſuam operam, et ſua obſequia, ſi in aliqua re inſervire poſſit. Hæc petiit, ut ad te ſcriberem, et te officioſe ejus nomine ſalutarem. Ego eum, ut veterem amicum, tibi commendo. Scripſi ad te copioſius ante paucos dies; hæc raptim. Bene vale.

Pragæ, 16. die Julii 1575.

XLVII.

Conſtitui accuſare tuam conſtantiam, ut argumenti abſurditate literas quibus tuam exiſtimationem tuearis ex te eliciam. Dediſti ad me literas ſub initium Junii menſis, quibus nullæ mihi unquam fuerunt magis gratæ: nam viſus es mihi in iis teipſum ſuperare ingenio et prudentiâ, et ex iis primum ſcivi te incolumem ad tuos rediiſſe, ac etiam tuæ valetudini reſtitutum eſſe: ex quibus rebus me maximam voluptatem cepiſſe credo te non dubitare. Scripſiſti autem te aliquandiu abfuturum Londino, et interea nihil ad me literarum daturum: quod ſane bonâ fide præſtitiſti: imo ego vereor ne dudum Londinum ſis reverſus; nec tamen ad me ſcribas. Illa eſt conſtantia quam ego accuſo. Quid aliud conjicere poſſum, quam illas unicas ex patria ad me tantâ elegantiâ et diligentiâ ſcriptas literas fuiſſe extremum conatum illius induſtriæ quam pepererant miſeriæ quas nobiſcum pertuliſti, quæ videbat ſibi eſſe ſuccumbendum illecebris voluptatum quæ animum tuum jam labaſcentem oppugnabant. Judicabis forte me iniquè tecum agere, quod coner tibi perſuadere, ut amicorum ſuavitatem ſcribendi moleſtiis interdum poſtponas; et metuo ne tandem ſint tibi minus gratæ meæ literæ, quia ſuavi illi tuo otio nubeculam aliquam offundent. Mi generoſe Sydnæe, "vi-

tanda eſt improba Siren, Deſidia." Nos etiam ſumus tibi amici, nec dubitamus quin nos ames; ſed cupimus ex noſtro amore fructum aliquem percipere, quem capiemus uberrimum quandocunque nobis ſignificabis te proſperâ valetudine frui, et eum in tuis rebus ſucceſſum habere quem meretur tua virtus, et nos tibi optamus. Si non prorſus decreviſti nihil amplius ſcribere, ego conſulo ut ſcribas ad Joannem Baptiſtam de Taxis, qui ſtationariorum equorum procurationem habet in Belgio: nam ad noſtrum Cluſium ſcripſit ſe dolere quod te non viderit Antuerpiæ, et ſe eſſe cupidiſſimum tibi gratificandi et inſerviendi. Quoniam ea mihi videtur eſſe expeditiſſima ratio mittendi ad te literas, ego jam ad ipſum ſcribam; et rationem aliquam contrahendæ cum ipſo amicitiæ inibo. Sed deſinam tibi eſſe moleſtus, idque faciam cum aliqua mea moleſtia: nam ſi animo meo indulgere vellem, nullum finem facerem accuſandi te.

Nos hic jam triumphum agimus de Pontifice Romano, eo quod Bohemi tandem extorſerint Imperatori eam religionis libertatem quam ab eo tantâ contentione tamdiu flagitarunt. Imperator variis modis conatus eſt eorum poſtulata eludere; et paucis diebus antequam ipſis obſequeretur paulo aſperius quam antea, viſus eſt cum ipſis agere. Verum ea aſperitas fuit in cauſa, ut animos magis obfirmarent, ac de diſſolvendo hoc conventu inter ſe conſilia inirent: quod ubi reſcivit Imperator, judicavit ſatius eſſe cedere neceſſitati, quam nimis adverſando iſtos a ſe prorſus abalienare. Secundâ itaque die hujus menſis dixit, ſe permittere ipſis profeſſionem ejus religionis quæ continetur in confeſſione fidei quam menſe Maio ei exhibuerunt, et ſe ſuſcipere eorum patrocinium, ſeque hæc promittere antiquâ fide Bohemicâ et Germanicâ, et non Gallicâ,

ſuo

suo et sui successoris nomine. Dixit postea, filios quidem suos esse addictos ei religioni quæ vulgo Catholica nominatur; sed à se ita esse informatos, ut nihil ab ipsis futurum sit periculi iis qui diversam profitebuntur: ipsis autem factam esse magnam injuriam ab iis qui, post cædem illam Parisiensem, insimularunt ipsos conspirationis factæ Viennæ adversus quosdam proceres Austriacos ob diversæ religionis professionem. Miror ipsum Imperatorem, in tam frequente hominum consessu, ita acriter Gallos perstrinxisse, cum alias videatur affectare laudem moderatioris animi, et ita perstringere alias gentes, vel potius principes, sit quasi ipsis inimicitias indicere. Ego suspicor ipsum recente aliquâ injuriâ à nostris affectum esse, forte in Polonia; nam credere Turcas à nostris hominibus persuasos irrupisse in Hungariam (quod vulgò hic dicitur) nimis est ineptum et puerile: quasi vero homines prudentissimi patiantur se à nobis persuaderi, vel in consilium adhibeant nos quorum stultitia ipsis nequaquam est ignota. Imperator hac concessione libertatis in religione viam sibi reddidit faciliorem ad ea impetranda quæ petit à Bohemis, qui sextâ die hujus mensis filium ejus Rodolphum Regem Bohemiæ designarunt; inaugurabitur autem die Jovis proximâ. Turbæ Hungaricæ nondum sunt compositæ: Turcæ tamen de suo impetu nonnihil remiserunt; et quidam eorum ad famam adventantium copiarum Germanarum se ad loca tutiora receperunt, alii muniunt arces quas initio hujus tumultûs nobis eripuerunt. Præfectus arcis Dyvyn, quæ etiam est nobis erepta, dicit urbes metallicas Hungariæ ad jurisdictionem illius arcis pertinere, sibique sumit in eas imperium, et pecuniam ab eis exigit; quam si non conferant, minatur eis extrema. Ante paucos dies præfectus Romaræ incidit in Begum Strigoniensem quingentis equitibus stipatum, cum quo

commissâ

commissâ pugnâ, præclaram quidem victoriam obtinuit, (nam plerosque interfecit aut cepit); sed quæ nobis minus lætitiæ attulit, quia metuimus ne sit in causa, ut Turcæ, in concedenda nobis pace, præbeant se difficiliores. Quo sint evasuræ res Polonicæ nondum possumus prospicere. Nobilitas Polonica magis inclinat in Moschum quam in quenquam alium, quoniam judicat Poloniam ejus patrocinio fore tutam ab incursionibus Tartarorum ac etiam Turcarum; qui jam incipiunt nescio quod imperium sibi in Polonos sumere. Quoniam proceres metuunt ne Moschus istam nimiam ipsorum licentiam reprimat, ac eos in ordinem redigat, abhorrent plane ab eo. Aiunt ipsos, factâ conspiratione cum Lithuanis, constituisse, invitâ etiam nobilitate Polonicâ, Austriacum eligere. Andreas Dudicius venit huc ante aliquot dies, proculdubio ut de his rebus cum Imperatore deliberet. Heri eum salutavi tantum; postea cum eo colloquar; nam mihi significavit se id expetere. Quoniam Poloni pecuniâ expleri non possunt, nostri regnum illud jam minus alacriter ambiunt. Celebrarunt in Minore Polonia conventum eorum Palatinatuum qui ad eam pertinent; in quo decretum est, ut petatur ab Archiepiscopo Gnesnensi, ut conventum regni indictum ad tertium diem Octobris, rejiciat in 27. diem, ita tamen ut in eo Rex eligatur. Majores Poloni celebrarunt etiam conventum suorum Palatinatuum, ex cujus decreto petierunt ab Archiepiscopo ne properetur ad novi regis electionem: esse enim rem tanti momenti, ut de ea maturè sit deliberandum; et se nondum absolutos esse à juramento quod suo Regi præstiterunt. Nescio quorsum hæc sint evasura; sed vereor ne non sit facile Imperatori regnum illud pacatum acquirere. Regna autem jam armis quærere velle non videtur convenire ejus rationibus, imminente ei præsertim gravissimo hoste,

qui

qui se haud dubiè his rebus immiscebit. Ego nihil magis metuo quam ne Turcæ, relictâ Italiâ, suas vires in nos convertant: nam audio Hispanos agere cum ipsis de induciis, et quidem non sine spe eas impetrandi: quod si fiat, væ nobis et vobis, qui pereuntes Belgas otioso animo spectatis. Jam accingimus nos ad iter Ratisbonense, quod post Regis inaugurationem statim aggrediemur. Si auderem sperare te aliquando ad me scripturum, peterem ut mihi significares quasnam ex meis literis acceperis: nam ad quinas aut senas nihil respondisti. Bene vale.

Pragæ, 18. die Septemb. 1575.

XLVIII.

REcte tu quidem Antuerpiâ ad me scripsisti me nimis diu ingratam Spartam coluisse: id enim verum esse jam sum magis quam unquam antea expertus Ratisbonæ, ubi multi ex iis cum quibus bonam partem ætatis contrivi, et qui antea visi sunt me benevolentiâ persequi, aversati sunt me perinde ac si simultates mecum exercerent. Non autem hoc ideo fecerunt quod judicarent me justam aliquam odii causam ipsis præbuisse; sed voluerunt suo theatro servire, et existimaverunt se eâ ratione inituros gratiam apud eos quibus assentari volunt. Ea res initio me male habuit: postea istos homines, et eorum ineptias, contempsi: quod mihi facile fuit, cum ex variis locis eo confluxissent multi præstantes viri, cum quibus mihi amicitia intercedit, quorum consuetudine mihi frui licuit. Conquestus sum tamen de istorum erga me inhumanitate apud Illustrissimum meum Principem, et quidem scripto; quod ut præcaverem calumnias eorum de quibus conquerebar, ipsi primum exhibui pri-

die

die quam discederet: quare cum esset tunc occupatior in Imperatore et aliis principibus salutandis, factum est, ut scriptum, quod ipsi exhibueram, ibi non legerit. Verum, cum jam à Ratisbona abesset unius diei itinere, dedit ad me literas plenas humanitatis; in quibus scribebat, me non recte fecisse, quod hæc ipsi prius non indicassem. Suâ autem erga me liberalitate tunc testatus est istorum inhumanitatem sibi minime placere. Merito quidem commovit me istorum quos mihi amicos esse putabam ingratitudo erga me: sed longe magis perturbat me pertinax istud tuum silentium, cum totis quinque aut sex mensibus nihil à te literarum acceperim, licet ad te sæpius scripserim, tuque ad alios scripseris. Vereor enim ne quid commiserim quod te alieniorem à me reddiderit: nam nisi quid tale accidisset, potuisses tanto tempore unam saltem horam amico tribuere. Sum mihi conscius non solum semper fuisse eximiam meam erga te voluntatem, sed etiam me summopere admiratum esse, ac etiam apud amicos prædicasse, præclaras illas animi dotes quibus te Deus liberaliter ornavit, et magnæ felicitatis loco posui, quod in hac mea misera et ærumnosa senecta mihi contigerit ad tui notitiam ita pervenire, ut me etiam à te diligi crederem. Quod si meâ stultitiâ vel rusticitate amisi id quo nihil mihi fuit carius, non possum non deplorare meam infelicitatem. Sed has querelas jam omittam. Imperatori omnia ex animi sententia Ratisbonæ successerunt. Filius ejus Rodolphus designatus est Rex Romanorum, 27. die Octobris, et est inauguratus Calendis hujus mensis. Nullâ aliâ re memorabili peractâ, solutus est conventus, ita properantibus domum principibus, ut Imperator, quarto die ab inauguratione filii, omnium postremus Ratisbonâ discesserit. Cum ageretur de formula jurisjurandi quod reges Romanorum præstare so-

lent, disceptatum est nonnihil de religione: nam nostri petebant, ut decretum de pace religionis factum in conventu Augustano anno 1555 magis explicaretur: sed pontificii responderunt, eam rem non pertinere ad solos electores, sed ad omnes ordines imperii; et propterea rejiciendum esse ad imperii conventum. Interfuerunt conventui omnes electores præter Palatinum, cujus vice functus est Ludovicus ejus filius. Interfuerunt etiam Bavariæ Dux, Archiepiscopus Saltzburgensis, et aliquot alii principes non magni nominis. Conventus imperii indictus est Ratisbonam ad 15. diem Februarii. Proximo mense peragentur ab Imperatore conventus regnorum Hungariæ et Bohemiæ, in quibus de bello Turcico deliberabitur; hoc est, de pecunia conferenda. Jam fuit celebratus Warsaviæ conventus à Polonis; in quo actum fuit de novo rege eligendo, qui an sit solutus nondum hic scio, quamvis interea dum hæc scribo quidam amicus mihi significaverit, electionem rejectam esse in mensem Januarii. Germani dicunt plurimorum animos inclinare in Imperatorem, et fratrem ejus Ferdinandum. Itali vero certo despondent regnum Ferrariensi, qui est formidabilis suis competitoribus, quia pecuniâ grassatur. Scio plurimos ex nobilitate Polonica expetere Moschum, ut habeant patronum adversus Turcas et Tartaros; proceres vero, qui metuunt ne Moschus eorum licentiam compescat, et eos in ordinem redigat, si regnum adipiscatur, abhorrent ab eo, et Austriacum præferunt. Turcæ autem profitentur, se non fore amicos Polonis si Austriacum vel Moschum elegerint; quæ res forte proderit Ferrariensi: nam excursio quam Tartari superiore mense fecerunt in Russiam Polonos admodum terruit. Hæc ad te scripsi non eâ alacritate qua antea solitus sum scribere, cum dubitem an sint futuræ tibi gratæ meæ literæ;

literæ; non tamen propterea minuetur meus erga te amor, cui tua virtus initium præbuit. Bene vale.

Viennæ, 28. die Novemb. 1575.

XLIX.

DEdi ad te literas, ante quinque aut ſex dies, paulò vehementius ſcriptas quam forte jam cuperem: quamvis meæ vehementiæ non me valde pœniteat; ex meis enim literis intelliges quam ſim impatiens injuriæ. Etiamſi literas tuas heri acceperim, nondum tamen mihi perſuâſti negligentiam tuam à me immerito accuſari, cum poſt quintum menſem ad me demum ſcribas. Prætexes tuæ ceſſationi veſtros progreſſus, et deductionem illuſtris tui parentis. At Cæſar te occupatior ſcripſit in caſtris ſuos commentarios. Perpende tecum, obſecro, quid ſit tanto tempore noluiſſe tribuere unicam horam amicis à quibus ſcis te ſummopere diligi, et qui ſunt de te magis quam de ſeipſis ſoliciti. Factâ in menſem unius ſaltationis jacturâ, potuiſſes nobis abunde ſatisfacere. Superiore anno fuiſti hic nobiſcum per tres aut quatuor menſes tantum. Revoca in mentem quot præclaros ſcriptores tam parvo tempore evolveris, et quem fructum ex eorum lectione retuleris; quod ſi tam parvo tempore tam multa iſtic didiciſti quæ ad vitam recte inſtituendam pertineant, nihil obſtat quominus te totum immergas deliciis. Fieri quidem poteſt ut te immerito accuſem, et ut nihil de vetere tua diligentia remiſeris, (quod utinam ſit verum); verum tua negligentia in ſcribendis literis nobis aliud ſuadet, et facit ut metuam ne eximius ille ingenii tui fulgor rubigine obducatur, ſi ipſum non exerceas. Ne exiſtimes Deum ornaſſe te tam excellente ingenio, ut illud otio marceſcere ſinas; ſed crede

ipſum plura à te exigere quam ab aliis erga quos fuit minus liberalis. Quod ſi diu otio aſſueſcas, et poſtea ingruant tempeſtates quæ tibi illud excutiant, difficilius erit tibi earum impetum ſuſtinere quam ſi malis et laboribus eſſes exercitatus. Vide quam ſim inhumanus qui pro humaniſſimis tuis literis talem tibi gratiam referam, nec quantum in me eſt patiar, ut otioſo animo expleas te voluptate quam ſummam ex tot amicorum ſuavi conſuetudine te percipere non dubito. Te tuis et bonis omnibus fore gratiſſimum ac cariſſimum nunquam dubitavi: quare nihil de ea re ſcribis quod non antea mihi perſuaſerim ſe ita habere. Mihi tamen jucundum fuit id ex tuis literis cognoſcere, magnamque ex ea re voluptatem cepi. Te in hac ætate eſſe incertâ valetudine doleo: ſed forte ideo non recte vales quia tibi eſt nimis bene: nam quamdiu extra patriam tibi minus bene fuit, uſus es commodâ valetudine, ſi excipiam morbum in quem paulo ante tuum à nobis diſceſſum incidiſti, quem cave ne vel nimis violento exercitio, vel aliâ ratione, irrites. De uxore quod ludens ſcribis ego ſerio accipio. Noli nimium fidere tuæ conſtantiæ. Cautiores te interdum irretiuntur. Quantum ad me attinet optarem te jam eſſe irretitum, ut poſſes tui ſimiles patriæ gignere. Quicquid ſit de ea re futurum, oro Deum, ut ſit fauſtum et felix. Vides quam magno animo ſubierit illud periculum noſter Wottonus, cujus animi præſentia videtur exprobrare tibi puſillanimitatem. Fatum in hac re plurimum poteſt: quare non eſt quod exiſtimes te totam hanc rem tuâ providentiâ ita poſſe regere, ut ſis ab omni parte beatus, et ex animi ſententia omnia tibi ſuccedant. Si ea quæ literis tuis inſeruiſti de cauſis odii Hiſpanorum erga vos non perſuadent veſtris hominibus eſſe vobis ab ipſis metuendum et cavendum, fruſtra quis conabitur id ipſis perſuadere.

Veſtri

Vestri fortè somniant se esse veteres illos Chandosios et Talbotos. Perpendant secum Hispaniam fuisse primam externarum provinciarum quæ Romanorum jugum subierit: jam vero Hispanos bonæ parti Italiæ imperare. Sunt qui dicant Regem Hispaniæ ita esse ære alieno obrutum, ut nihil magnum possit aggredi. At ii non cogitant esse in ipsius potestate non satisfacere creditoribus; et sunt persuasi nostræ ætatis principes stultum esse fidem servare quando aliquid incommodi inde ad ipsos redit. Qui dicunt Regem Hispaniæ non esse ambitiosum, aliquid dicunt; verum gens ipsa est ambitiosissima, et aliarum gentium contemptrix. Legimus autem Corbulonem, Ætium nostrum, Carolum Martellum, et plures alios, sub ignavis principibus magnas res gessisse. Johannes ab Austria est jam florente ætate, et est carus militibus, estque ipsi opus præsidio: quod si res Belgicæ componerentur, habet ibi Rex Hispaniæ militem exercitatum, et rapinis assuetum; quo nisi liberentur, eæ provinciæ nunquam bene habebunt: quare utile esset Regi eum in Angliam induci, etiamsi certò constaret eum ibi periturum: tanta autem est jam vestra humanitas, ut permittatis classibus Hispanicis vestros portus per otium explorare, et quamdiu volunt in iis consistere. Regnum Galliæ ante hæc tempora fuit instar repaguli, quo Hispanorum ambitio utcunque coercebatur. Jam vero eo devenerunt res nostræ, ut metuam ne nobis serviendum sit Hispanis, et ne pontificii fessi malis, et sæpius experti in suo Rege sibi parum esse præsidii, Hispanos ultro accersant, et se in eorum clientelam tradant: quod meo judicio facerent, si res Belgicæ essent compositæ. Turcæ quidem facessent aliquid negotii Hispanis in Italia et Sicilia: verum hic Amurates, qui recens ad imperium pervenit, non videtur futurus admodum acer, et regitur consiliis Mahometis Bassæ senis

qui

qui nunquam erit ipsi author ut quicquam aggrediatur quod aliquid periculi in se contineat: quare, si Hispani volent suas vires adversus alios convertere, et muniant Siciliam, Apuliam, et Calabriam, mediocribus præsidiis, et instruant classem quadraginta aut quinquaginta triremium, qua piratas coerceant, et impediant ne classis Turcica nimis libere evagetur; non poterunt Turcæ multum damni ipsis inferre, cum ipsis oppida littoralia sint munita; nec defutura sint ipsis ad illud bellum auxilia omnium Italiæ principum, si Venetos excipiam, qui ne quidem cupiunt Turcas aliquid in Sicilia aut Italia occupare, ne eos graviores vicinos experiantur quam hactenus experti sint Hispanos. De Pontificis Romani (in cujus manu est cor Regis Hispaniæ) benevolentia, quid sit vobis sperandum non ignoras. Ego sane vidi in conventu Ratisbonensi pontificios principes animosiores quam speravissem aut cupivissem. Superant nos consilio, et augent ipsis animum nostræ dissensiones, quæ vereor ne Germaniæ tranquillitatem tandem turbent. Certe faciunt ut Pontificii, qui nos antea coluerant, videantur jam nos quodammodo contemnere, quia amplius non metuunt. Wackerus ante unum aut alterum mensem reversus est ex Italia. Scribet ad te de suis rebus. Est vir optimus, et tui studiosissimus. Saluta, obsecro, officiose meo nomine Dn. Wottonum, cui cupio optime esse. Saluta etiam Dn. Corbettum, et alios amicos. Ne autem posthac rejicias tuæ negligentiæ culpam in metum Prisciani, ego impetrabo tibi ab eo multorum annorum indulgentias, ita ut liceat tibi eum impune cædere quandocunque libebit. Bene vale, et cogita tibi esse negotium cum homine qui non facile patitur sibi verba dari.

Viennæ, 3 die Decemb. 1575.

Salutant

Salutant te meus hospes et tota ejus familia, ac Monavius, qui heri hinc discessit. Cratonem nondum salutavi tuo nomine.

L.

VOlo jam esse rigidior mei censor, et à me exigere mulctam ob illam animi commotionem quæ me impulit, ut in superioribus meis literis liberius te monerem, ne tam cito abjicias memoriam eorum, qui nunquam conveniunt quin se oblectent commemoratione illius summæ voluptatis quam hic ex tua consuetudine perceperunt. In te autem tantum humanitatis sunt experti, ut nondum sibi persuadere possint te probare eorum sententiam, qui dicunt non posse voluntate esse conjunctos eos qui longis locorum intervallis sunt disjuncti: nam ne quidem per somnium ipsis in mentem venit fuisse simulatam illam benevolentiam quam ipsis hic exhibuisti. Narratio eorum quæ jam in Polonia acciderunt, erit mulcta quam ego tibi persolvere constitui: non enim dubito quin fama de electione Imperatoris jam ad vos pervolaverit: sed vix credo vobis satis esse explicatum quid in ea intervenerit. Convenerunt Poloni ad Warsaviam sub initium Novembris animo eligendi regem: de qua re toto mense acriter est inter ipsos disceptatum. Ambiverunt regnum Maximilianus Imperator, Ferdinandus et Ernestus Archiduces, Moschus, Suecus, Ferrariensis, Transylvanus, et aliquot Pyasti, ut ipsi loquuntur. Inter Pyastos præcipuæ authoritatis erant Podoliæ, Sandomiriensis et Belzensis Palatini. Quidam huc scripserunt Regem Tauricæ, seu Tartarum Præcopiensem, ambivisse etiam regnum, ita ut Polonis promitteret, si illud assequeretur, se, abjectâ religione Mahometanâ,

metanâ, Christianam susccpturum, et sororem Regis Sigismundi Augusti defuncti ducturum uxorem. Rozembergius Bohemus habuit quorundam suffragia; sed non puto eum ambivisse. Paulatim eo devenerunt Poloni disceptando, ut, suppressis aliis factionibus, Austriaca et Pyastorum solæ consisterent. Austriacæ favebat maxima pars senatûs: Pyastis vero vulgus nobilitatis Polonicæ erat addictior. Die 9. superioris mensis in tantam contentionem dissentientes exarserunt, ut parum absuerit quin inter se confligerent: sed Laskius suâ promptitudine Pyastos ferocientes coercuit, ac in officio continuit. Archiepiscopus Gnesnensis voluit eo die Imperatorem nominare Regem: sed Palatinus Podoliæ, qui inter Pyastos fuit præcipuus, obtestatus est eum ne faceret; cui nisi obsecutus fuisset Archiepiscopus, ad arma haud dubie deventum fuisset. Eo die factio Pyastorum secessionem fecit, nec postea ad alios rediit: Podoliæ vero Palatinus ab ipsis ad Austriacos defecit, non solis verbis ut existimo persuasus. Nequaquam tamen eum secuta est nobilitas Podolica: sed Pyastis constanter adhæsit. Duodecimâ die superioris mensis sub occasum solis, Archiepiscopus Gnesnensis Imperatorem nominavit Regem: quod ejus factum approbarunt omnes præter eos qui triduo ante secesserant. Duces eorum qui secesserunt, sunt Cracoviensis, Sandomiriensis, Belzensis, Lublinensis, Russiæ et Podolachiæ Palatini, et plures alii illustres viri, cum tota fere nobilitate Minoris et Majoris Poloniæ, Russiæ, et Podoliæ. Sandomiriensis et Belzensis Palatini ambiverunt regnum. Cracoviensis est tanquam caput illius factionis: is autem multum valet gratiâ et authoritate apud nobilitatem, quam sibi devinxit humanitate et liberalitate. Vitæ autem splendore id est consecutus, ut sit ex eo genere hominum quibus Cæsar dicebat opus esse bello civili; et habet tres aut

quatuor fratres, qui omnes ſunt induſtrii, factioſi, audaces, et egentes. Arx Cracovienſis eſt in ejus poteſtate; in qua re plurimum ſitum eſſe exiſtimo, cum corona et reliqua ornamenta regia ibi aſſerventur, ac etiam ſuppellex quàm Rex ex Gallia attulit, quam noſtri Galli tanti æſtimant, ut non audeam ejus pretium aſcribere, ne tibi vanus videar. Qui elegerunt Imperatorem ſignificaverunt iis qui ſeceſſionem fecerunt, ut approbarent id quod à maxima parte ſenatûs et nobilitatis eſt decretum; quod niſi faciant, ſe jus reipublicæ armis perſecuturos. Aiunt Cracovienſem Palatinum reſpondiſſe, ſe Turcarum auxilium imploraturum, ſi quis vim ipſi inferre conetur. Imperator, præter ſenatum, habet ſibi addictam nobilitatem Lithuanicam, Prutenicam, et Maſſovienſem. Quam cauſam alii afferant, quare eum regem agnoſcere nolint, nondum audivi. Scribitur eos indixiſſe conventum ad 14. diem hujus menſis ad eligendum regem. Fertur eos velle eligere Tranſylvanum eâ conditione, ut ducat uxorem ſororem Regis Sigiſmundi Auguſti defuncti; idque ei jam ſignificaſſe. Imperator ſcripſit ad eum ne ſe immiſceret rebus nihil ad ipſum pertinentibus, nec paucorum factioſorum hominum fiduciâ ſtatum illius regni turbaret. Senatus per Plocenſem Epiſcopum ſignificavit ſorori Regis Sigiſmundi Auguſti electionem de Imperatore factam, et quid molirentur illi qui ſeceſſionem fecerunt; quæ reſpondit, ſe ſemper fore in poteſtate ſenatûs, et ſe approbare decretum de Imperatore factum. Quid ſit ſecuturum poſtea videbimus. Spero Imperatorem pro ſua prudentia et animi moderatione, placide acturum cum iis qui ſeceſſerunt, et perſuaſurum eis ne pacem et tranquillitatem patriæ turbent. Eſſet ſane ipſi valde incommodum armis perſequi jus quod in illo regno jam eſt adeptus; quod quam ſit exſuccum, noſtri Galli ſatis ſunt experti. Præterea me-

tuendum esset ne Turcæ ac Tartari, et tandem etiam Moschi, vel ultro, vel accersiti, se iis rebus immiscerent. Huc accedit, quod ipsius valetudo est tenuis et incerta; nec est à re pecuniaria satis instructus. Quod si filium ejus Ernestum elegissent, haud dubie has res agendas alacrius suscepisset. Verum erit ei parum gloriosum non persequi id quod ipsi jure obtigit, et præsertim adversus Transylvanum, quem suum clientem esse dicit. Quod si hæc initia turbarum ita oppresserit, ut (quod spero) pacatum illud regnum adipiscatur, vix poterit nominari princeps cui à multis annis tam multa feliciter tam brevi tempore obtigerint, cum paucorum mensium spatio filium regnorum suorum successorem designari curaverit, Polonicum suæ familiæ acquisiverit, et (quod non in postrema felicitatis ejus parte ponendum censeo) prorogationem induciarum in octo annos à Turcis impetraverit. Credo esse fatum hujus familiæ, ut et in nos, et in vos, tandem imperium obtineat: quod ejus fatum nos nostrâ stultitiâ et mutuis cædibus acceleramus; vos vestrâ Macchiavellicâ sapientiâ ad eundem fere collimatis scopum; jam enim oppugnatis Gueusios, in quorum incolumitate consistit vestra salus. Speratis forte vos eâ ratione deleturos memoriam injuriæ, vel potius gravissimi vulneris quod Hispanis inflixistis; quod, crede mihi, manet altâ mente repostum. Audio Villerium esse pastorem ecclesiæ Gallicæ quæ est Londini. Cuperem te cum eo notitiam contrahere; est enim vir doctus, facundus, et admodum ingeniosus; quare sperarem te ex ejus colloquiis et fructum et voluptatem percipere posse. Oro Deum Omnipotentem, ut sit tibi faustus et felix annus, cujus hodiernus dies est initium, et ut sis magis memor amicorum quam fueris superiore anno.

Viennæ, Calend. Januarii 1576.

LI.

LI.

SCriberem ad te sæpius, nisi ex isto pertinace tuo silentio conjicerem, vel tibi non esse gratas nostras literas, vel te parum eas curare. Scimus nostram amicitiam nullius usûs tibi esse posse : tuæ tamen humanitatis erat non tam cito abjicere memoriam eorum cum quibus ita vixisti, ut ostenderes tibi non esse ingratam eorum consuetudinem, et qui te vehementissime amant, ac plurimi faciunt. Ne vero existimes de me solo hæc dici : reliqui enim amici, quos tuâ virtute ac morum suavitate in Germania tibi comparâsti, eodem modo quo ego sunt affecti ; et quandocunque ad me scribunt, conqueruntur te, præter eorum expectationem, contemnere amicitiam quam tecum ita contraxerant ut diuturnam fore sperarent. Sed hæc ingrata omittamus. Res Polonicæ nos hic variis modis exercent : nam non sunt exiguæ vires eorum qui in Polonia adversantur Imperatori ; et Turcæ, qui jam hic legatum habent, videntur istarum rerum majorem curam suscipere quam cuperemus. Ante duos menses, venerunt huc ex Polonia decem legati, quorum princeps est Laskius, quem tu nôsti. Proposuerunt Imperatori conditiones quibus ei regnum defertur ; quarum quædam videntur mihi non solum graves, sed etiam iniquæ. Verum cum non sit in potestate legatorum aliquid de iis remittere, graviter ferunt se hic tandiu detineri. Videtur Imperator nondum apud se plane constituisse quid sibi in hac re sit agendum, nec sane eum immerito angi judico : nam res de qua deliberatur multum in se difficultatis habet. Si regnum acceptaverit, nunquam ejus possessionem sine bello adipiscetur, cujus eventus erit incertus. Quod si etiam

omnia ex animi ſententia nobis ſuccederent, exigua tamen eſſent victoriæ præmia ob gentis illius egeſtatem. Scis Romanos non recepiſſe quaſdam gentes quæ ſuâ ſponte eorum imperium ſubire volebant; eo quod plus impendendum eſſet in earum conſervationem quam fructûs aut utilitatis ex iis ſperari poſſet. Si vero ceſſerit Tranſylvano, metuendum eſt ne eum habeat gravem vicinum; et Turcis ſuis hoſtibus nimis addictum. Adde, quod parum glorioſum eſſet tali æmulo vel rivali hanc Helenam concedere. Ii qui partes Imperatoris tuentur in Polonia, convenerunt nuper Lovicii, feceruntque decretum de indicendis comitiis Warſaviam ad nonum diem proximi menſis; in quibus conſtituerunt alium regem eligere, niſi Imperator intra illud tempus in Poloniam veniat. Non deſunt qui dicant jam conveniſſe inter diſſentientes in Polonia, ut, rejecto Imperatore ac Tranſylvano, alium regem communi conſenſu ſibi eligant, ad evitandum exitium quod ipſorum reipublicæ ex hac diſſenſione imminere videtur. Id ſi facerent, ſibi et patriæ non male conſulerent; et credo quod Imperatori non foret valde ingratum, modo talem eligerent quem ſperaret ſibi fore vicinum non incommodum. Tranſylvanus non tam facile patietur ſibi eripi jus quod exiſtimat ſe eſſe ad illum regnum conſecutum; cum octavâ die ſuperioris menſis acceptaverit conditiones ſibi propoſitas à Polonis, traditumque ſit ei decretum de eo factum ad Warſaviam, et ſit ſalutatus Rex à legatis Polonicis. Suas autem res ita compoſuit in Tranſylvania, ut jam ſit ad iter Polonicum accinctus. Cæſariani quantum in ſe erit impedient ejus iter; ſuntque ad Ruberum ob eam rem miſſa ſupplementa militum. Non tam facile erit Polonis ſe ex his difficultatibus explicare quam ipſi exiſtimare videntur: nam ſi eligerint quempiam qui non ſit gratus Turcis, Turcæ opponent ei Tranſylvanum,

ſylvanum, cui ſubminiſtrabunt auxilia ad depellendum æmulum: nam non diſſimulant ſe erga ipſum bene eſſe affectos. Moſchus contra prolixe defert Imperatori ſua officia et auxilia, et eum vehementer hortatur ut regnum Polonicum acceptet. Promittit autem Polonis fœdus et amicitiam, ſi eum aliis præferant: ſi autem eum reſpuant, profitetur ſe ipſis fore inimicum. Ipſum Imperatorem monet ne ab incepto deſiſtat Tartarorum metu, qui Tranſylvano adfuturi dicuntur; ſe enim effecturum ut ſe domi contineant. Vides in quas anguſtias ſint redactæ res Polonicæ, ex quibus ſi Poloni potuerint ſe explicare, judicabo eos et prudentes et felices. Si tam fervida eſſent eorum ingenia quam ſunt noſtrorum hominum, ipſi dudum periiſſent. Rarius ad te poſthac ſcribam, quia ſuſpicor meas literas jam non eſſe tibi gratas, et metuo ne exciderim eâ felicitate quam in tua benevolentia reponebam. Sive autem me ames ſive oderis, optabo ſemper tibi bene eſſe, et orabo Deum, ut tibi adſit, ac te diu incolumem ſervet. Bene vale.

Viennæ, 17. die Martii 1576.

LII.

QUocunque modo factum ſit, ut tibi literas elicuerim, vel potius extuderim, gaudeo eſſe factum, cum is ſit præcipuus fructus quem jam ex noſtra amicitia percipere poſſim. Video quidem me commoviſſe tibi bilem; ſed interea fruor illâ voluptate quam mihi literarum tuarum lectio adfert; quæ eo eſt jucundior, quia judico me meâ induſtriâ eam mihi comparaſſe; niſi enim aculeatas literas ſcripſiſſem, periſſet mihi mea opera, nec fuiſſet à te expectandum reſponſum. At non parum eſt amicum commovere? Eſto ſane: verum

verum (ut ait poeta) mens generosa faciles motus capit; et qui facile commoventur, solent etiam facile placari. Quidam etiam iracundiam nominarunt cotem virtutis, et dixerunt eam maxime adversari pigritiæ; à qua sane ego te non prorsus libero: reliqua vero, quæ in meis literis tibi objeci, sunt à me joco dicta, ut te ad scribendum excitarem. An existimas mihi in mentem venire posse, ut vel minimum dubitem de sinceritate animi tui, quem (ut de vestro Moro scribit Erasmus) scio ipsâ nive esse candidiorem? Quanti autem me facere existimas, quod tu tam illustri loco natus, et qui (ut cum poeta loquar) superas animi nobilitate genus, quique eâ judicii acrimoniâ es præditus, et tantâ rerum cognitione instructus quantam in tuam ætatem cadere non posse existimabam antequam tibi factus essem familiaris; quod tu (inquam) tot et tantis dotibus ornatus, non sis aspernatus meam amicitiam? Imo (ut aliquid inepte et gloriose de me dicam) sum persuasus me non minimam fuisse causam quare huc ex Italia sis reversus, et multas miserias nobiscum pertuleris. Utinam, mi generose Sydnæe, scires quanti istud beneficium faciam, et quantum me eo nomine tibi debere credam. Desine igitur mihi objicere ea quæ in tuis literis objecisti, quæ si vel per somnium mihi in mentem venirent, ego me quovis supplicio dignum judicarem; et crede quæ ad te scripsi esse à me jocose scripta, ut te vel nolentem ad rescribendum adigerem. Tuus à nobis discessus tantum mihi dolorem attulit, ut amici nostri communes vicem meam dolerent: quem tantum abest ut ipsum tempus minuerit, ut jam longe impatientius tui desiderium feram quam fecerim quum à nobis discessisti: quare necesse erit ut tui conspectu istud meum desiderium adhuc expleam, nisi ejus rei facultatem mors mihi brevi ademerit. Si quid hìc belli oriretur quod te ad nos reduceret, (cujus rei in

tuis literis ſpem nobis facere videris), ego me multum bello illi debere judicarem; ſed longe mallem in loco pacato tuâ conſuetudine frui. Utinam caperet te cupiditas ſpectandi infelicis noſtræ Galliæ rudera, aut in te adhuc vigeret vetus illud tuum deſiderium calcandi ſolum quod ante quingentos annos majores tuos in lucem venientes primum excipiebat. Quod ſi fieret, ego ſane me felicem judicarem, et quocunque modo me hinc extricarem, et ad te accurrerem: nec forte tibi eſſet ingratum apud Alençonium, à quo ſcribis te humaniter invitatum, aliquot menſes vivere, et noſtrorum hominum mores et ingenia conſiderare, ut Germanorum et Italorum conſiderâſti: nam infelicia tempora in quæ antea incidiſti id tibi nequaquam permiſerunt. Sed id mihi optare potius quam ſperare licet: nam non ſum eo ſidere natus, ut mihi tantam felicitatem contingere poſſe credam; ac metuo ne totus cohorreſcas quandocunque tibi in mentem veniunt incommoda quæ ſunt perferenda iis quibus eſt extra patriam vivendum. Porro, quum reverſus in patriam eximiam omnium erga te benevolentiam ſis expertus, non dubito quin ea res animum tuum ita emolliverit, ut iſtic tanquam adamantinis catenis revinctus, ſis perpetuo hæſurus: nec tibi quicquam futurum eſt tanti, ut ob id poſthac patiaris te à patriæ dulcedine avelli. Ego omnem curam adhibui, ut poſſem conſequi imaginem quam dixeras te expetere; et uſus ſum in ea re operâ noſtri Cluſii, quem juſſeram ſuo nomine redimere eam pecuniâ ab eo apud quem erat, quoniam ſciebam nebulonem illum nequaquam eam mihi venditurum, eo quod ſciret ſe munera à me accepiſſe quæ ipſius tabulæ pretium longe excederent: referre autem gratiam pro accepto beneficio, non eſt moris illi hominum generi. Reſpondit Cluſio, ſe eam deſtinaſſe ac jam promiſiſſe noſtro Jordano; nec poſtea in ejus ædibus eſt conſpecta. De Jordano quod dixit, fuit me-

rum

rum figmentum. Nec satis fuit ei gratiam illam pro acceptis beneficiis mihi retulisse, postquam enim huc reversus sum Ratisbonâ, mihi in quadam alia re impudentissime imposuit. Verum (ut est in proverbio) frustra Neptunum accusat qui iterum naufragium facit, quare hoc postremum ego meæ stultitiæ ascribo. Hæc ideo scripsi, ut videas quomodo soleant nos hic amici beare. Quoniam ad me scripsisti vos recens iniisse fœdus cum Persis, ubi nactus fuero occasionem, mittam ad te quædam de moribus et administratione reipublicæ illius gentis quæ Venetus quidam tempore belli Cyprii exploravit. Missus erat (ut aiunt) à senatu Veneto ad Regem, ut eum adversus Turcas concitaret. Hæc spero tibi fore gratiora et utiliora conspectu illius inceptæ imaginis. Res Sarmaticæ nos hic multis modis exercent. Bathorius, noster æmulus, tandem pervenit in Poloniam per Moldaviam, Podoliam, et Russiam: quod præter expectationem nobis accidit: eramus enim persuasi nos posse eum à Polonia arcere, si obsideremus aditus viarum quibus ex Transylvania eo itur per Hungariam. Quoniam Moldavia, et ea pars Podoliæ per quam oportuit eum iter facere, sunt proximis annis ita devastatæ à Turcis et Tartaris, ut pene sint in solitudinem redactæ, non plures quam septingentos equites et quingentos pedites secum duxit: si enim majus agmen duxisset per illas solitudines, defuissent ipsi res ad victum necessariæ. Propius accedenti ad Cracoviam plures ex nobilitate Polonica iverunt obviam, ita ut urbem ingressus sit stipatus septem aut octo millibus equitum, quod factum est 23. die superioris mensis. Calendis Maii inaugurati sunt ipse et soror Regis Sigismundi Augusti quam duxit in uxorem. Cæsariani indixerant conventum suorum Warsaviam ad tertium diem Junii; sed audio eos mutasse sententiam postquam audiverunt Bathorium constituisse eo accedere, et in aliud tempus conventum rejecisse.

jecisse. Dicunt ipsum Bathorium constituisse bello persequi eos qui ipsi adversantur, quorum duces sunt in Polonia Archiepiscopus Gnesnensis, et Laskius, cujus arcem primariam Landskroniam obsidet. Quando est inauguratus, legati Lithuanorum, qui tunc temporis fuerunt Cracoviæ, significaverunt Polonis, se potius discessuros ab unione facta ante aliquot annos, quam ut hunc regem agnoscant; et sane videntur constanter manere in sua sententia. Moschus etiam Imperatori nostro suam operam alacriter defert; et hortatur eum, ut jus quod ad regnum Poloniæ est consecutus, armis persequatur. Tartari persuasi à Turcis, nuper magno numero progressi sunt ad fines Lithuaniæ, ut res Bathorii adjuvarent: verum Moschus corrupit eos pecuniâ, et perfecit ut ad sua redirent. Ego metuo ne Imperator nolens volens involvatur bello, à quo tamen abhorrere videtur, et quidem non immerito; nam non est dubium quin Turcæ suscepturi sint Bathorii patrocinium, et moturi bellum Imperatori in Hungaria, si ipse Bathorio moveat in Polonia. Aiunt eorum esse novem aut decem millia ad Themesvariam, qui haud dubie irrumpent in nostros fines statim ubi audient nos mittere militem in Poloniam; quod jam fieri puto. Fama est etiam Beglerbeium Greciæ esse ad Adrianopolim cum validis copiis; quæ res nobis terrorem incutit; quamvis multi affirment Turcas tantâ rerum ad victum necessariarum, et presertim frumenti, penuriâ laborare, ut nihil magnum hac æstate tentare possint. Imperator jam profecturus est ad imperii conventum; intelliget ibi quantum sit auxilii sperandum ab ordinibus imperii, si bellum moveat. Itali et Hispani nihil non faciunt, ut Imperatorem ad bellum impellant; quod credo eos facere, ut derivent in Germaniam periculum quod à Turcis imminet Italiæ. Imperator est eo ingenio, et eâ prudentiâ, ut non du-

bitem quin ſatis intelligat quo hæc eorum conſilia ſpectent: verum metuendum eſt ne Bathorius ſit nobis gravis vicinus, ſi patiamur eum res ſuas ſtabilire in Polonia, cum credat ſe à nobis affectum eſſe injuriâ, et multis beneficiis ſit devinctus Turcis. Orandus eſt Deus Omnipotens, ut quicquid in ea re ſtatuet Imperator, ſit ipſi ac toti orbi Chriſtiano fauſtum et felix. Accepi literas quas ad me dediſti Calendis Februarii, et 21. die Aprilis. Miſi Doct. Thaddæo literas filii Pragam, quo eſt profectus cum Rege Romanorum. Male ſibi conſulit filius quod non diligentius incumbit literis; nam non ſunt ei expectandæ magnæ opes à parentibus. Literis quas ad me Calendis Februarii dediſti nullæ erant adjunctæ ad Cluſium, ut poſtea ad ipſum ſcripſiſti; ſed ad Wackerum unum, quas ipſi miſi; diſceſſit enim à nobis. Dominus Vulcobius expectat hic ſucceſſorum Carolum de Harlay, qui te Venetiis ſalutavit. Petiit à me ac etiam Bouchetellus, ut tibi ſalutem aſcriberem. Puto nos hinc diſceſſuros poſt ſeptem aut octo dies: quare, ſi voles reſcribere, mittendæ erunt literæ Ratiſbonam. Bene vale, et Dn. Wottonum meo nomine ſaluta.

Viennæ, 28. die Maii 1576.

LIII.

SAtis conjicio ex literis quas 21. die Junii ad me Londino dediſti, te habuiſſe in animo nihil mihi de illo tuo itinere in Hiberniam indicare, niſi ſub ipſum tuum diſceſſum literas meas accepiſſes; nam iſtud tuum conſilium dudum ad alios amicos perſcripſeras, qui mihi illud ſignificaverant; et jam eras in procinctu cum ad me ſcripſiſti. Forte metuebas ne non tibi bene precarer, et aliorum benevolentiam erga te majorem eſſe judicaſti quam meam. Sed cum ejuſmodi quere-

lis

lis effecerim antea ut ſic de me ſentias, ab iis poſthac abſtinebo, et tantum accuſabo meum fatum. Laudo tuam pietatem, quod illuſtrem tuum parentem tuo conſpectu diutius carere non patiaris, nec tam longi itineris pericula et moleſtias reformides modo ipſi voluptatem adferas, quam ſummam percipiet cum te conſpiciet ornatum iis virtutibus quas viri ſapientes ſuis liberis optant potius quam ſperare audeant. Laudo quidem præclarum illud tuum inſtitutum; ſed cum ſalebroſos Cambriæ montes, et procelloſum illud Hibernicum fretum, et ubique fere peſtilentem autumnum, mente revolvo, ſolicitudo de te mirum in modum me exercet. Quare per illum amorem quo me antea proſecutus te adjuro, ut quamprimum in veſtræ aulæ portum ac delicias reverſus fueris, me de tua incolumitate certiorem facias, et me liberes curâ quæ (ut ait vetus poeta) "me coquit, et verſat ſub pectore "fixa." De Hibernicis miraculis ad nos haud dubie diligenter ſcribes, et aliquid mittes ex reliquiis avium, quæ illic ex arboribus naſci dicuntur. De hoc imperii conventu neſcio quid ſcribam; quamvis enim totos duos menſes hic hæſerimus, nihil tamen quod ſciam hactenus decretum eſt quod ad reipublicæ Germanicæ ſalutem magnopere pertinere videatur. Deliberatur de repellendis Turcis, de invadenda Polonia et deturbando Bathorio, et de ineundo fœdere cum Moſchovitarum principe, qui huc miſit legatos aſpectu et moribus adeo fœdos, ut Turcæ videri poſſint culti et elegantes, ſi cum his barbaris conferantur. Ad hæc perficienda de quibus deliberatur, opus eſt grandi pecuniâ; quam ut liberaliter conferant Imperator hortatur ordines imperii, qui in ea re ſe minus alacres præbent quam ipſe cuperet. Quoniam autem nulli fere principes adſunt, Imperator in ſuis rebus magnas difficultates experitur: nam abſentium legati dicunt ſe à ſuis

principibus habere mandata quæ non licet ipsis excedere; quod si adessent, ipsi principes possent de multis rebus ab Imperatore edoceri ac persuaderi. Disceptatum est etiam hic, et adhuc disceptatur, de religione: sed cum nostri principes non sint satis concordes, nec etiam valde serio hanc rem agere videantur, eorum conatus facile eluduntur à Pontificiis, qui hic ad omne genus versutiarum magistrum habent Cardin. Moronum, aulæ Romanæ artibus ita imbutum, ut etiam suis collegis sit formidabilis, et ob eam rem aliquoties exciderit pontificatu, licet collegæ, qui alios prætulerunt, non ignorarent eos esse minus industrios quam hic sit, et minus instructos iis artibus quæ necessariæ sunt ad retinendum in officio principes Christianos, et ad fulciendum labefactatam pontificatûs authoritatem. Ego sane metuo ne ejus adventus in Germaniam nobis non sit salutaris: nam video in contentionibus de religione animos hominum valde exacerbari, et veterem illum consensum in republica, si non prorsus scindi, at saltem minui. Pontificii quidem superant nostros consilio, et inter eos diffidia astute serunt ne quid in commune consulant: verum nostri sentiunt se falli, et sunt sibi suarum virium conscii; quare verendum est ne tandem secent nodum quem solvere non poterunt, si alii pergant ipsis illudere. Quia tardius tibi reddentur meæ literæ, de rebus publicis plura non adjiciam. De meis privatis sic habeto: me à tuo discessu, et præsertim ab initio superioris hiemis, expertum esse incredibilem erga me inhumanitatem, ac etiam perfidiam quorundam, qui se mihi amicos esse prius simulaverant: nam nullâ à me lacessiti injuriâ, non solum ab amicitia discesserunt, sed etiam mihi perniciem procurare conati sunt; nec adhuc desinunt id facere. Sed Deus me hactenus ab istorum insidiis tutum reddidit,

et

et reddet quamdiu ipsius clementiæ videbitur. Noli itaque mirari si in his meis miseriis rarius solito ad te scripserim. Hic non parvam voluptatem capio ex consuetudine Doct. Andreæ Paulli, cum quo vivo, et aliorum amicorum quos hic plures reperi: nec tu paucos invenisses, si huc excurrisses, et licuisset tibi frui multorum præstantium virorum consuetudine, et præsertim Domini Lazari Suendii, apud quem sæpe tui mentionem facimus. Salutant te Comes Solmensis et Baro à Dhona, tui amantissimi. Mitto ad te scriptum de rebus Persicis, cujus feceram mentionem in superioribus meis literis; quod ubi legeris, intelliges nos minus magnifice sentire de illius gentis opibus: verum Ismahel, qui nuper defuncto patri successit, et regnum à fratrum cæde auspicatus esse dicitur, collapsam disciplinam militarem forte restituet. Scriptum est Constantinopoli, eum, cum copiis quibus ad opprimendum fratres est usus, progredi Babylonem versus, quam, patri suo Thammæ ab Imperatore Solimanno ereptam, conabitur recuperare, ut multi existimant. Mitto aliud scriptum de rebus Hispanicis, cujus lectionem tibi nec injucundam nec inutilem fore spero. Bene vale.

Ratisbonæ, 13. die Augusti 1576.

LIV.

SCripsi ad te superiore mense, et simul cum literis involvi quædam de rebus Persarum et Hispanorum, quæ forte tibi non erunt ingrata. Dedi fasciculum optimo viro, Doct. Joachimo Mollero, à quo missus est Hamburgum ad fratrem, qui in ea urbe consulatum gerit; qui haud dubie dabit operam ut ad te perferatur. Meis literis suas adjunxit Doct. Andreas

dreas Paullus, tui ſtudioſiſſimus. Scripſi antea de quibus rebus hic præcipue deliberetur. Nihil ab eo tempore decretum eſt quod te ſcire multum tua referre putem. Moſchovitici legati dimiſſi ab Imperatore, reddiderunt ei literas quas ad ipſorum principem ſcripſerat, eo quod earum inſcriptioni non eſſent inſerti omnes dignitatum tituli quibus ſe barbarus ille vult ornari. Card. Moroni literas ad ſuum Principem accipere noluerunt; dixerunt enim ſibi eſſe mandatum à ſuo principe, ne cujuſquam ad ipſum literas, præterquam Imperatoris, acciperent. Nondum hinc diſceſſerunt ob adverſam Imperatoris valetudinem, cum qua per decem aut duodecim dies graviter conflictatur. Ante quatuor dies excrevit calculum ejus magnitudinis cujus eſt nucleus olivæ grandioris. Ab eo tempore cœpit paulo melius habere; ſed tamen nondum convaluit, ad calculum enim acceſſerunt et alii morbi. Hìc adhuc deliberatur, an conſultum ſit, ut Imperator armis perſequatur jus quod ſe habere dicit ad regnum Polonicum. Exiſtimo paucos fore ei authores ut bellum ſuſcipiat, cum Bathorius jam videatur adeptus pacatam regni poſſeſſionem. Tota Lithuania diu à partibus Imperatoris ſtetit: verum cum viderent Lithuani Bathorium regno inauguratum, duxiſſe uxorem ſororem Regis Sigiſmundi Auguſti, et Polonos omnes, pauciſſimis exceptis, ejus authoritatem ſequi, Imperatorem vero nec parare arma, nec facere ullam ſpem ſui adventûs in Poloniam, acceſſerunt et ipſi ad Bathorii partes. Initium defectionis factum eſt à Koſkovitio, Samogitiæ præfecto, qui, cum ſit Mareſchalcus Lithuaniæ, et illis in locis authoritate plurimum valeat, plurimorum conſtantiam ſuo exemplo labefactavit. Acceſſit ad hæc metus Moſchi, quem ſibi principem expetebat vulgus nobilitatis; cujus tyrannidem cum pertimeſcerent proceres, judicarunt ſibi

ſibi periculoſum fore, ſe ſejungere à conſenſu Polonorum. Pruteni poſtremi omnium manſerunt in fide Imperatoris, præſertim Dux ipſe, Dantiſcum, et Elbinga: ſed cum ſæpius fruſtra Imperatoris auxilium imploraſſent adverſus Bathorium, qui ipſis armatus imminebat, ceſſerunt tandem neceſſitati, et profeſſi ſunt ſe Bathorii imperium agnoſcere. Archiepiſcopum Gneſnenſem, quem ſcis eſſe primarium regni ſenatorem, et ſummæ authoritatis in eo regno, primum omnium oppreſſit Bathorius, quoniam videbat eum ſe præbere ducem Cæſarianis, et habere apud ſe ipſius Imperatoris ac Pontificis Romani legatos, quos ut à ſe dimitteret imperavit ei, et ut ad ſe Warſaviam veniret: quod coactus eſt facere Archiepiſcopus, omni præſidio deſtitutus; Bathorius enim paulo ante interceperat aliquot militem centurias, qui ipſi ex Sileſia ſubſidio mittebantur. Palatinus Podoliæ, quem in comitiis multi regem expetiverunt, diutius reſtitit Bathorio; ſed cum videret ſe ab omnibus deſertum, tandem etiam cum eo tranſegit. Superſunt hic Laſkius et quidam alii non magno numero, qui, licet vident res pene deſperatas, fortiter tamen Bathorio inter pocula conviciantur, et conantur perſuadere Imperatori, ſecuturam magnam Polonorum ad eum defectionem, ſi tantum arma Poloniæ oſtentaverit. Non exiſtimo eos perſuaſuros Imperatori, ut fiduciâ eorum, quæ ipſi promittunt, bellum ſuſcipiat, cum valetudo et aliæ ejus rationes id non ferant; et fere omnes, præter ipſos, ſuadeant ne faciat. Bathorius indixit conventum regni Thorunniam ad Calendas Octobris; in quo putant eum acturum, ut proſcribantur omnes qui ejus imperium non volent agnoſcere. Si Imperator omnino conſtituit abſtinere à Polonia, æquum erit ut habeat rationem Laſkii et aliorum, qui fortunis et dignitate exciderunt, ob fidem et conſtantiam quam ei præſtiterunt;

et

et ut det operam, ut ſuis fortunis et dignitatibus reſtituantur. Cum vero Polonia Hungariæ et Sileſiæ fines attingat, conſultius eſſet renovare vetera fœdera, et reſtituere commercia inter illas gentes, quam inutiles ſimultates cum Bathorio exercere. In eo eſt aliquid difficultatis, quod nec Imperator prior volet compellare de fœdere Bathorium ſe inferiorem, nec ante factam tranſactionem eum regem nominare; nec etiam Bathorius prior mittet legatos, cum ii quos huc ſub initium conventûs miſit non ita ſint accepti ut ipſe ſperaverat, et tandem etiam traditi ſint cuſtodiæ, ob vulneratum et ſpoliatum Korſbachium in Pruſſia, quo erat miſſus ut Prutenos ad conſtantiam erga Imperatorem hortaretur. Conſultum multis videretur, ut Imperium in hac re ſuam authoritatem interponeret, et daret operam, ne hæc initia ſimultatum excreſcant in ſævum aliquod incendium, quod gentes illas tandem depaſcatur. Habes ad ſatietatem non ſolum res Polonicas, ſed etiam ſtultum meum de iis judicium. Spero quod meæ literæ reperient te Londini incolumem reverſum ex Hibernia, et fruentem illo opimo otio veſtræ aulæ, quod poſt tædioſi itineris moleſtias et labores longe tibi ſuavius videbitur quam antea. Tantum metuo ne te, in ſcribendo ſatis alioqui negligentem, negligentiorem adhuc reddat. Bene vale.

Ratiſbonæ, 8. die Sept. 1576.

LV.

POſt tuum diſceſſum detinuerunt me aliquandiu Coloniæ amici, unde cum eſſem diſceſſurus, advenit quidam, qui dicebat ſe tibi reddidiſſe literas à Regina, quibus jubebaris ire ad Principem Orangium: quod

ſane

ſane fuit mihi gratiſſimum : videbam enim eâ ratione, ſine tuo periculo, deſiderio tuo ſatisfieri, et tibi magis honorificum fore, fungentem munere publico eó accedere, quam ſi privatus acceſſiſſes, ut habueras in animo. Quoniam autem monueram te, cavendum eſſe tibi, ne cuiquam præberes occaſionem te calumniandi, cum omnia, quæ tibi à Regina demandata fuerunt, ita confeciſſes, ut inde laudem et gloriam referres ; et tamen videbam te ardere cupiditate compellandi Orangium, et contrahendi cum eo amicitiam ; metuebam ne mihi poſtea objiceres per me factum eſſe, ne voti tui compos fieres : nam ſatis memini, quam ſæpe mihi exprobaveris meâ culpâ accidiſſe, ut Romanam profectionem omiſeris. A tuo diſceſſu nihil accidit in Germania magnopere dignum quod ad te ſcribatur. Elector Palatinus nondum ad ſuos rediit. Nihil quidem mutatum eſt Heidelbergæ ab ejus diſceſſu ; ſed ex aliis oppidis et pagis dimiſſi ſunt aliquot miniſtri verbi, non plane liberi : juſſi enim ſunt promittere, quod ſe in judicio ſiſtent, ſi intra annum accuſentur. Indictus eſt Magdeburgam conventus principum Proteſtantium ad Octobrem menſem, in quo de religione agetur. Faxit Deus, ut principes rationem ineant, qua tolli poſſint diſſidia inter nos excitata ; quæ ut alant Pontificii, ſimulant ſe bene cupere Lutheranis, et gratificantur eis libenter in iis rebus quibus ipſorum odium erga nos accenditur. Nuper ab iis, quos viſitatores Cameræ Imperialis vulgo nominant, interdictum eſt præſidibus ipſius Cameræ, ne quem in eo judicio ferant qui non ſit Pontificius, vel religionis Confeſſionis Auguſtanæ. Delius noſter ob eam rem diſceſſit Spirâ ; et cœlum jam implet querelis ; et ne in his calamitatibus deſtituatur ſolatio, ait ſe velle adjicere animum ad rem uxoriam, cui ſane æquum eſt ut tu bene preceris. Sed, extra jocum, quid ſi Sereniſſima

vestra Regina mitteret industrium aliquem virum ad conventum principum Protestantium, indictum Magdeburgam, qui ipsis exponeret quæ pericula immineant iis omnibus qui jugum Pontificium excusserunt, si pergant ita inter se contendere; et etiam ipsis indicaret quibus artibus ista inter nos dissidia alant Pontificii? De ea re consulendus esset Gulielmus Landgravius. Posset etiam agi cum Rege Daniæ, si cum eo colitis amicitiam. Ego sane metuo ne in eo conventu ecclesiæ nostræ condemnentur, et ne vis inferatur iis qui in Germania nobiscum in religione sentiunt. Comitem Hanavium nondum vidi; sed scripsi ei, et eum tuo nomine salutavi. Elector Saxoniæ et Brandenburgensis, sub initium superioris mensis, fuerunt Budissinæ in Lusatia cum Imperatore, quem audio dedisse operam, ut paternam amicitiam cum eis renovaret; sed, ut aiunt, jure hæreditario ad eum non pervenit illa Pitho quæ in paternis labiis sedebat. Profectus est Budissinâ Wratislaviam, unde puto eum jam discessisse. Accepi nuper literas à Cratone et ab Andrea Paullo. Uterque tibi omnia fausta et felicia precatur; dolent autem quod tuo conspectu ipsis frui non licuerit. Andreas Paullus scribit, se omnino constituisse invisere te in Anglia. Res Belgicæ sunt tibi notissimæ, nec ignoras quas clades nostri in Gallia nuper acceperint. Non oportet sane vos in utramque aurem dormire; et præsertim si Hispani inducias à Turcis impetrarunt, ut ad nos ex variis locis scribitur. Vide ut sis memor eorum quæ tibi dixi ad ostia Mœni; et de iis scribe quamprimum poteris, ut aliquoties mihi promisisti. Saluta officiose meo nomine generosum Dominum Grevillium, necessarium tuum, et reliquos nobiles ac humanissimos viros quos istius tui longinqui itineris fidos et suaves comites habuisti, quibus utinam in aliqua re gratificari possem.

Ego

Ego quidem incredibilem voluptatem cepi ex illa nostra consuetudine plurium dierum; at idem mihi accidit quod iis qui æstuantes frigidam avide et cum voluptate bibunt, quæ ipsis causam febris adfert; eam enim voluptatem meam tantus dolor subsecutus est, quantam vix unquam sensi; qui necdum multum remisit. Dum sub tempus tui discessûs, jocando cum Bizarro, do operam, ut tibi et mihi mœrorem excutiam, exciderunt mihi quædam, de quibus constitueram tecum agere, ita ut me meorum jocorum postea pœnituerit. Banosius noster mittitur ab ecclesiis Belgicis, quæ hìc et in Palatinatu exulant, ad synodum, quæ indicta est Dordracum ad vicesimum quartum diem hujus mensis. Inde, ut spero, ad te scribet. Est vir bonus et doctus, ac tui observantissimus. Ego tibi omnia fausta et felicia precor.

Francofurti, 14. die Junii 1577.

LVI.

DEdi ante mensem ad te literas Banosio, eunti ad synodum theologorum, quæ indicta erat Dordracum; quas te dudum accepisse spero. Nudiustertius primum redditæ sunt mihi eæ quas ad me dedisti Brugis quintâ die superioris mensis. Missæ sunt ad me Argentorato à Doct. Lobbetio, ad quem nescio quo fato pervenerint. Quas scribis ad Niphum misi Viennam ad nostrum Clusium, qui haud dubie diligenter eas curabit. Adjunxi meas ad Niphum, quibus conor ei persuadere, ut tuo desiderio satisfaciat: sed vereor, ne id frustra à nobis fiat; nam licet ante sesquiannum nactus esset opimam conditionem in Hungaria, audivi tamen eum cogitasse de Polonia, postquam scivit Bathorium eo venisse. Scis me nihil un-

quam in te reprehendisse præter negligentiam in scribendo, cujus rei accusandi te nunquam habui justiorem causam quam jam habeam. Meministi quam sæpe à te petierim, ut tuorum sententiam, de ea re de qua tecum ad ostia Mœni egi, nobis quamprimum significares; quod te facturum promisisti. Scripsisti quidem Brugis, te habere causas quare fere desperes id posse fieri; et petiisti à me, ut quantum in me esset, aliorum spem labefactarem. Non tamen propterea intermittere debuisti, quin exploratâ tuorum voluntate, eam nobis statim significares, ut promiseras te facturum. Scio quid tibi venerit in mentem, ob quod rem factu difficilem judicaveris; nam statim, ubi alii mecum de ea re egerunt, venit mihi in mentem, te esse filiumfamilias: verum nec ipsorum spem minuere volui, ne revocarent mandatum quod de te compellando et tentando tuo animo mihi dederant; nec etiam tibi exponere volui difficultates quas in hac re facile intervenire posse existimabam. Quorsum hæc inquies? ut utrisque illuderes? Imo vero tui amore hoc feci. Proposui tibi simpliciter, quod alii jusserant me proponere; nec, si recte meministi, usus sum ullâ suasione, sed totam rem tuæ deliberationi permisi. Respondisti, id quod proponebam tibi non esse ingratum; sed te non esse plane tui juris et arbitrii: verum te reversum ad tuos, eorum voluntatem exploraturum, eamque mihi statim significaturum. Quid mei amoris hic intervenerit, nondum vides; sed jam tibi exponam. Judicavi illos nostros tale de te judicium fecisse, tibi fore honorificum apud omnes quibus innotescet. Tibi vero tuâ promissione imponebatur necessitas id indicandi iis, sine quorum consensu perfici non potest. Si spem rei perficiendæ initio abjecisses, nunquam mihi promisisses quæ tu promisisti, et quâ es modestiâ, id reticuisses, ne habereris vanus.

Jam

Jam autem necesse habuisti illud aliquibus palam facere, ut fidem tuam apud me liberares; nec potuit quisquam suspicari, te aliquid ambitiose facere. Quomodo autem apud alios posses excusari, si res non haberet successum, non necesse fuit te tantopere esse solicitum. Habuissem ipse in promptu excusationem, si rescripsisses, et adhuc haberem, si rescriberes, quod ut facias, te per nostram amicitiam obtestor, ne illi putent se contemni à te, vel me non bonâ fide de ea re tecum egisse: nam huc reversus Coloniâ, scripsi ad communem illum nostrum amicum, me tibi rem proposuisse, ut inter nos convenerat, eamque tibi perplacuisse, et te habere ipsis gratiam, quod tale de te judicium fecissent, sed non potuisse de ea re quicquam statuere, inconsultis iis, in quorum es potestate; verum te promisisse, quod eorum voluntatem exploraturus esses, quamprimum in patriam esses reversus, et eam nobis significaturus. Ab illo nostro amico jam accepi literas, in quibus ita scribit: "L'affaire que "savez est enseveli. Nous attendons la resolution de "votre part, c'est à dire, de celui que savez. Car "de notre côté nous sommes asseurez, ayans le con-"sentement de la principale personne. Monsieur Ley "en a parlé. Tout est resolu, moyennant qu'ayez "reponse ou resolution de l'autre côté." Vides in quas difficultates sim conjectus. Ego profecto ob eam rem hactenus sum veritus ad eos accedere, etiamsi me aliquoties ad se vocaverint, et varias causas confinxi ob quas non possem accedere; nam nolebam ipsis spem omnem rei conficiendæ adimere, antequam ex te cognoscerem nullam superesse. Licet enim judicem id esse factu difficillimum, non tamen existimo non posse omnino fieri. Quid si tuum fatum, vel bonus aliquis genius, tuorum, vel etiam vestræ Zenobiæ, liberalitatem erga te irritaret? Jam evocor ab illis nostris ob causas

adeo

adeo graves, ut necesse sit me ipsis parere. Quando ex me percontabuntur, quid de hoc nostro negotio habeam; nihil aliud respondere potero, quam me nondum à te literas accepisse. Si, ut antea dixi, aliquid scripsisses, qualecunque illud fuisset, potuissem aliquid comminisci quo ipsis satisfactum fuisset, sine ulla benevolentiæ erga te imminutione. De publico illo negotio, de quo tecum est actum, nihil jam habeo quod scribam, quoniam ab illis nostris absui. Abortus uxoris Joannis Nassavii aliquam moram injecit: constitutum enim erat, ut acturi de ea re apud ipsum convenirent, suæque coitioni infantis ipsi nati baptismum prætexerent. Manet tamen, quantum audio, in nostris eadem voluntas; et hæc est una ex causis ob quas ab ipsis jam vocor. Elector Palatinus jam primum reversus est ex thermis, ad quas iverat sub initium Maii. Pergit in suo instituto pellendi ex ecclesiis pastores, quos ipsis pater præfecerat. Hoc mihi non satis humanum videtur, quod coegerit novercam suam concionatorem, quem apud se habuit, dimittere. Ob eam rem mulier constituit prædia sua dotalitia elocare, et migrare Franckenthalium, ut possit frui libertate conscientiæ, et vivere in ecclesia eorum cum quibus sentit in religione. . . . .

Dux Joannes Casimirus adversatur quidem fratri, et conatur ecclesias, à patre bene constitutas, conservare; sed parum proficit; quia cum verbis tantum adversetur, facile est alteri verba rependere. Scribunt Norimbergâ, Imperatorem interdixisse civibus Viennensibus, ne ad Lutheranorum conciones accederent, quoniam ejus religionis professio à patre Maximiliano concessa fuerit soli nobilitati: tantum abest autem, ut Viennenses cives interdicto paruerint, ut etiam longe frequentiores quam antea ad conciones accesserint, postquam

poſtquam id eſt ipſis denunciatum. Ex hac ſcintilla poſſet oriri periculoſum incendium, niſi adhibeatur cautio. Quæ autem poteſt adhiberi cautio, ubi principum animi ſunt pravis perſuaſionibus occupati, et dementati, nec volunt rationem in conſilium adhibere? Quid mirum autem, ſi aula Romana ſuis incantationibus juvenis principis animum faſcinet; cum Venetos, qui volunt haberi omnium hominum ſapientiſſimi, potuerit ita dementare, ut paſſi ſint in ſua urbe inſtitui inquiſitionem, non ſolum in cives, ſed etiam in exteros? Sapiunt ſane Turcæ, qui nobis pacem et inducias concedunt, quo noſtra inſania, nullo ipſorum metu coercita, poſſit ſe liberius exerere, et nobis ſpontaneum interitum accerſere. Rex Hiſpaniæ urget illud ſuum inſtitutum de fœdere Helvetico; aiuntque pleroſque ex pontificiis pagis ab eo jam eſſe perſuaſos; ſed non dubito, quin Berna, Tigurum, et alii potentiores pagi, ſint adverſaturi. Jam convenerunt Badenæ ad deliberandum de ea re. Genevenſes jam ſunt liberati metu Hiſpanorum, qui aliquandiu ſubſtiterunt non procul ab ipſorum urbe, ſed jam ſunt tranſgreſſi Alpes. Si iſtic eſt Dominus Pleſſius, ut quidam hic affirmant, ante hoc et virtus ac morum ſimilitudo vos conjunxit, peto ut eum officioſe meo nomine ſalutes. Bene vale, et reſcribe.

Francofurti, 15. die Julii 1577.

LVII.

COeperam hodie ad te ſcribere, literaſque meas querelis et expoſtulationibus ita repleveram, ut forte etiam viſus fuiſſem tibi conviciari, ſi ad te perveniſſent. Verum bono tuo fato, huc ſub noctem appulit

Dominus

Dominus Daniel Rogersius; qui cum dixerit, se habere à te literas ad me, ardorem illum et impetum animi mei fregit; ita ut bilem, quam in te jam effundere cœperam, continuerim; nondum tamen mihi literas reddidit. Nobis cœnantibus supervenit puer, quem apud Illustrem Dominum Comitem Hanavium reliquisti, qui dixit, se recta ad te contendere, et literas flagitavit. Ipsum quidem sine literis dimittere nolui; sed quia turbatâ Inferiore Germaniâ, facile intercipi possunt literæ, nihil serium iis committere volui. Nactus sum descriptionem aliam munitionum et præsidiorum Hungaricorum, de qua ad me Brugis scripsisti; non quidem operâ Comitis Ortemburgii, sed communis nostri amici Doct. Andreæ Paulli, qui te officiose salutat, et valde dolet, sibi non fuisse datam occasionem salutandi te Pragæ. Eam ad te mittam quamprimum nactus fuero tabellarium, cui eam tuto concredere possim. Post reditum ex aula Cæsarea, interrogatus à me, an Baroni Slavatæ remisisses pecuniam, quam ei mutuo dedisti ante annum, negasti te fecisse. Judicavi itaque eam ab ipso exigendam, sicut antea ad me scripseras; et ad ipsum scripsi, me mirari, quod tam cito abjecerit memoriam humanitatis illius quam ipsi Londini exhibuisti. Scripsi etiam ad nostrum Jordanum, ut eum officii sui admoneret. Hæc autem scribens, existimabam syngrapham ejus esse adhuc apud bibliopolam Pragensem, apud quem discedens Pragâ eam reliqueram: verum is nuper scripsit, se eam tibi reddidisse; cupio itaque ex te scire, quid in hac re fieri velis, et an existimes à Slavata accipiendam pecuniam, si eam offerat; quod tamen vix ipsum facturum existimo, et præsertim si sciverit nos non habere syngrapham, cujus vi ad solvendum adigi potest. Hæc scribo sub horam undecimam noctis, plane dormitu-

I riens,

riens, ne adolefcenti cras difceffuro fim in mora. Bene vale.

Francofurti, 12. die Augufti 1577.

LVIII.

OBfecro, ut mihi ignofcas, quod forte minus civiliter quam decuit, efflagitaverim à te refponfum ad id de quo inter nos convenerat. Hoc profecto ideo feci, quia et tua et mea exiftimatio apud iftos noftros jam laborare cæperat; perfuafi enim funt, te in Hollandia mutaffe fententiam, et aliam conditionem huic prætuliffe, de qua inter nos convenerat. Me autem credunt effe iftarum omnium rerum confcium, fed apud ipfos diffimulare. Teftatus fum Deum, me hæc plane ignorare quæ de te dicerent, nec judicare effe vera, nec à te adhuc literas accepiffe; non enim accepi eas quas dicis te ad me dediffe 23. die Julii. Poftquam mihi eft nota tua voluntas, faciam (ut fpero) ut boni confulant id quod conftituifti, nec de fuo erga te amore quicquam remittant. Jam ad ipfos proficifcor cum Domino Daniele Rogerfio; cum quo antea, juffu ipfius Principis Cafimiri, profectus fum ad thermas Empfenfes, ubi ipfe Dux Cafimirus Gulielmum Landgravium convenit. Ita toto tempore nundinarum hinc abfui; mihique carendum fuit jucundâ confuetudine amicorum qui huc venerant, et voluptate quam in tabernis librariis percepiffem. Id etiam incommodi mihi inde accidit, quod non potui fatisfacere tuæ voluntati in coemendis libris de quibus ad me fcripferas, quod præftabo proximo vere, fi Deus volet me effe tandiu fuperftitem, et ut fpero, cum aliquo auctario. Dn. Belus mihi dixit, te perfuafiffe Illuftriffimo Dn. Comiti Leiceftriæ, extitiffe hic in Germania aliqua mea

erga te officia, et effeciſſe, ut me ſuâ benevolentiâ dignum judicet, et mihi bene eſſe cupiat. Ego (ut credo te non ignorare) illam tuam eximiam virtutis indolem tanto amore ſum complexus, ſtatim ubi mihi innotuiſti, ut me eo nomine felicem judicarem, quod à mea conſuetudine te non abhorrere animadverterem. Poſtea acceſſerunt ea indicia tuæ erga me benevolentiæ, quæ me plane beatum reddiderunt, in qua ita acquieſco, ut quamdiu eam mihi retinere licebit, nihil mihi in hac vita contingere poterit quod non æquo animo feram. Itaque tibi ſummas gratias ago pro plurimis beneficiis quæ in me contuliſti, et quod dederis operam, ut præſtantiſſimo illi viro non diſplicerem; cui pro ea benignitate nihil aliud rependere poſſum quam orare Deum Omnipotentem, ut eum diu ſervet incolumem, cum in ejus incolumitate non minima pars ſalutis patriæ conſiſtat. Ut ea officia quæ prædicas tibi præſtarem, mea tenuitas non permiſit, quamvis aliquid præſtare quod tibi eſſet gratum ſummopere cupiverim. Rogo ut remittas huc ſyngrapham Baronis Slavatæ, vel apocham, qua teſteris te debitam tibi ab eo pecuniam accepiſſe: eam nam tandem numeravit bibliopolæ Gallo provocatus meis literis; ad quas non minus arroganter et inhumaniter reſpondit, quam ſi ei negotium fuiſſet cum aliquo ruſtico Bohemo. Ego, ut ſpero, perficiam ne diu fruatur illâ voluptate quam cepit ex conviciis quæ in me congeſſit. Ad Jordanum tantum ſcripſeram, ut eum admoneret officii, et ei in memoriam reduceret humanitatem qua erga ipſum uſus es in Anglia. Scriptum de præſidiis Hungaricis poſt mittam. De rebus publicis poſtea ſcribam, hæc enim mihi jam vix ſcribere licuit. Bene vale.

Francofurti, 23. die Septembris 1577.

LIX.

LIX.

LIteræ, quas Illustrissimus Dux Joannes Casimirus ornatissimo Domino Belo ad te dedit, tibi documento erunt nos non infeliciter apud ipsum perfecisse, id quod à nobis petebas. Meministi cujus injecta sit mentio cum ad ostia Mœni obambularemus. Elector Brandenburgensis eo dicitur respicere, verum alterius constantia ejus dignitate et amplitudine hactenus expugnari non potuit, adeo alte concepta spes animo insederat. Jam igitur gemet ubi se frustra constantem fuisse, ac conceptâ spe excidisse intelliget. Obsecro ut mihi ignoscas, quod in flagitando responso ad ea de quibus inter nos convenerat modum forte excesserim. Ego testor Deum me id fecisse studio conservandæ tuæ existimationis; quo ita ardeo, ut ex nulla re majorem voluptatem capiam quàm cum audio te ex aliqua re laudem reportasse. Fiducia etiam mei summi erga te amoris ac tuæ humanitatis facit, ut mihi persuadeam omnia mihi apud te licere; nec sum valde solicitus quid de me sentias, modo de tua erga me benevolentia nihil remittas. Legi literas Illustrissimi Comitis Leicestriæ ad Ducem Joannem Casimirum, ex quarum lectione summam voluptatem cepi; sunt enim testes ardentissimi ejus erga te amoris, et summæ spei quam de tua virtute concepit. Vide igitur ne consistas in medio ardui illius callis, cui hactenus institisti; sed enitere ad summum quo possis ejus expectationi de te satisfacere, ac voluptatem ei pro benevolentia referre, et patriæ, tibi, et tuis, plurimum prodesse. Expeditissima autem ad eam rem via est si te maxime familiarem præbeas iis ex quorum consuetudine non solum voluptatem capias, sed etiam utilitatem referas:

nam non dubito (ut ſolet in aulis accidere) quin multi tuam familiaritatem ambiant, non ſolum propter tuam virtutem, ſed etiam propter tuam fortunam, et ſua commoda: cujuſmodi homines plerumque comparant ſe ad aſſentandum, et dant operam ut potius jucunda quam honeſta aut utilia ſuggerant iis apud quos aliquid ambiunt. Novi autem tuam facilitatem, quæ quidem eſt virtus eximia, et præſertim in iſta tua fortuna, modo non patiaris alios eâ abuti. Vide ad quas ineptias progrediar calore animi, dum ſcribens mihi perſuadeo, me aliquâ ex parte tuis ſuaviſſimis colloquiis frui. Fuit mihi gratiſſimum poſt multos annos frui conſpectu et conſuetudine ornatiſſimi Domini Beli, amici veteris et cariſſimi, quem quidem video dignitate, prudentiâ, et rerum uſu auctum, ſed infracto animo erga aulicas vanitates, et erga amicos nihil immutatum. Quid de eo ſentiam dudum tibi aperui. Nullum hominem novi qui plura ſciat quæ ego ignorem, et valde cupiam ſcire. Gaudeo te jam arctiorem amicitiam contraxiſſe cum Domino Pleſſeio. Nihil ejuſmodi amicis pretioſius comparare tibi potes. Germania pacata eſſet, niſi eam ſuâ ambitione et arrogantiâ turbarent theologi; ab iis enim perſuaſus, Elector Palatinus pleraque acta ſanctiſſimi ſui parentis reſcindit, et ejus memoriam, quantum in ſe eſt, conculcat. Pellit ex eccleſiis et ſcholis innumeros viros doctos et pios, quos ejus parens magno ſtudio ad ſe pellexerat; nec, ut id perficeret, quamdiu regnavit, ulli labori aut pecuniæ pepercit. Audio eos qui pelluntur ſeptingentorum numerum excedere. Pelluntur præterea adoleſcentuli quos ſuâ pecuniâ in literarum ſtudiis alebat pater. Pulſi ſunt nuper Heidelbergâ centum, ex quibus unicus in gratiam principis à puriore religione defecit. Eâ autem ſeveritate (ut nihil durius dicam) utitur princeps, ut miſeri pueri, rerum omnium inopes,

et ignari quo se recipiant, jussi sint statim excedere è scholis in quibus habitabant, et ne quidem obolus est ipsis datus ad viaticum. Publicæ viæ in hac tota vicinia refertæ sunt miseris illis hominibus, qui fere omnes confugiunt ad Illustrissimum Principem Joannem Casimirum, qui recipit quotquot potest; eos vero quibus in sua ditione prospicere non potest prosequitur viatico. Comes Joannes Nassaviensis se etiam erga plurimos beneficum exhibet. Ego profecto de his rebus sine summo dolore cogitare non possem. Misi nuper ad te libellum de præsidiis Hungaricis, quem peto ut scribas an acceperis. Scripsi etiam de remittenda syngrapha Baronis Slavatæ; nam debitam tibi pecuniam Pragensi bibliopolæ numeravit. Bene vale.

Francofurti, 9. die Octobris 1577.

LX.

SUperioribus meis literis scripsi me hinc aliquandiu abfuisse. Interea autem dum absui, Lobetius et Wackerus miserunt huc literas, quas jam ad te mitto, quæ mihi redditæ sunt post discessum tabellarii, cui postremas eas ad te dedi. Rescribe tandem, obsecro, saltem, an nostras literas accipias. Dominus Belus ante octo dies hinc profectus est in Hassiam, inde iturus in Saxoniam; utinam in eo itinere res ipsi ex animi sententia succedant. Spero ipsum ad nos reversurum ante finem proximi mensis. Dominus Rogersius hic expectat literas Serenissimæ Reginæ. Ejus suavi consuetudine interea fruimur, et tui mentionem sæpe facimus; nec quicquam in te reprehendimus, præter negligentiam in scribendo. Banosius et Wechelus nudiustertius facti sunt sponsi. Jam toti sunt in amore,

quem

quem non credebam tantum juris habere in homines maturæ jam ætatis quantum jam video. Dies 18. proximi mensis dictus est eorum nuptiis, ad quas te invitant. Vide igitur ut accurras. Laudo in Banosio animi magnitudinem, qui, in hac tanta rerum omnium confusione, rem tam periculosam audet aggredi. Vide igitur ut animum ad eam rem etiam adjicias, quo possis eandem magnanimitatis laudem consequi. Sed jam satis nugarum. Videtur miseris Belgis imminere sæva bellorum tempestas, quæ metuo ne eos obruat. Confluunt ad Joannem Austriacum magno numero milites ex variis gentibus, Itali et Hispani manipulatim ex Italia veniunt. Quibusdam denegatus est transitus à Bernatibus; sed semper patebit ipsis via ex Sabaudia in Burgundiam, et inde in Lotharingiam, quæ contigua est agro Lucelburgensi, ubi conveniunt copiæ, et dicuntur recensendæ. Aiunt Parmensem Principem jam eo cum pluribus equitibus pervenisse. Guisius munit in ea vicinia arcem Bischoff Homburg, quæ est cis Metensem urbem sex milliaribus, et abest à Lutrea, ubi vivit Dux Casimirus, unius diei itinere tantum. Habet copias in iis episcopatibus quos Rex Galliæ Imperio Germanico eripuit, quas putatur ducturus ad Joannem Austriacum. Curarunt tamen Galli famam dissipari, copias illas parari adversus Ducem Casimirum; sed non puto esse ex re ipsorum Germaniam jam bello lacessere. Valde miror Hispanos, jam appetente hieme, tanto conatu bellum moliri; sed credo ipsos metuere ne Arausius suas res per hiemem confirmet, si nihil ei facessant negotii, vel forte (ut non semper sunt expedita Hispanorum consilia) suscipienda in autumno expeditio rejecta est in hiemem, ob rei pecuniariæ rationes non satis explicatas. Scribitur Viennâ, Matthiam, Imperatoris fratrem, paucis comitatum equitibus clam inde discessisse eâ nocte quæ

quartum

quartum diem hujus mensis est secuta. Putant autem eum in Belgium esse profectum, eo quod quidam Belga, missus ab ordinibus ad Imperatorem, cum eo discesserit. Imperator factum istud fratris non probat; saltem vult videri non probare; nam scripsit ad principes, se ad varia suæ ditionis loca misisse veredarios qui ipsum ex itinere revocarent, et petit ab ipsis principibus, ne patiantur eum progredi, si in ipsorum ditiones veniat. "Timeo Danaos et dona ferentes:" nam vereor, ne hæc omnia simulate agantur, et sint instructa, ut ille veniens in Belgium dissolvat arte consensum ordinum adversus Hispanos, et Arausii authoritatem labefactet. Nullus ex Imperatoris Maximiliani filiis visus esse moribus amabilioribus. Præripiet haud dubie Joanni Austriaco gratiam vestræ Scoticæ, quæ legitime natum notho præferet, et succulentum exhausto libidinibus. Natus est anno Domini 1557, 24. die Februarii. Inde ipsi inditum est Matthiæ nomen. Bene vale.

Francofurti, 22. die Octobris 1577.

LXI.

QUidam interrogatus, quænam ex orationibus Ciceronis viderentur ipsi optimæ, respondit, eas sibi videri optimas quæ essent longissimæ. Eodem modo ego judico de tuis literis; quare summam voluptatem cepi ex iis quas mihi attulit Comitis Hanavii puer, etiamsi mihi graviter ægrotanti eas reddiderit. Excurrerem jam in laudes tuæ diligentiæ et sedulitatis, nisi tu illud scribendi argumentum præripuisses; quod quidem non reprehendo, ne jure mecum experiaris in schola rhetorum, qui decreverunt licere iis qui aliquid præclari gesserunt sua illa præclara facinora recensere

et

et laudare. At, ô bone, an non te mera necessitas ad eam diligentiam adegit? Quo posses expiare illos tuos Laconismos, quibus toto hoc biennio es usus? Porro, quâ fronte sine accuratioribus literis potuisses dimittere puerum istum, cui non licuit, nisi impetratâ à te dimissione, discedere? nam plerumque tuarum literarum brevitati tabellariorum festinationem prætexere soles. Vides quam ego tibi gratiam referam pro suavissimis tuis literis, quibus nihil mihi potuit esse magis gratum. Sed libuit tecum jocari, ut inde colligeres me utcunque convaluisse ex morbo sane gravi, qui me totum mensem ita afflixit, ut nec legere nec scribere mihi licuerit: quæ res mihi fuit gravior ipsis cruciatibus, quos interdum sentiebam satis vehementes. Ante sex annos laboravi totos septem menses eodem plane morbo, cujus vestigia in facie adhuc circumfero; sed tunc medicorum turba me perdidit. Jam vero facilius sum liberatus, quia meo periculo factus cautior, non sum passus ipsos de mea salute pro arbitrio ludere. Nondum tamen ita convalui, ut mihi liceat sine offensione valetudinis ex meo vaporario prodire. Si vera sunt quæ de vestro Furbissero scribis, ille haud dubie obscurabit non solum Magellani, sed etiam ipsius Christophori Columbi famam. Quis sperasset extremum illum Septentrionem tanta malorum irritamenta nobis tandem suppeditaturum? Facile jam contemnetis navigationes in Indiam, postquam in id incidistis, quo nihil nocentius et humano generi perniciosius natura protulit; cujus tamen desiderio et cupiditate ita insaniunt plerique, ut nullius rei causâ se audacius in pericula conjiciant. Convertistis ante plures annos arva vestra in pascua, qua in re non bene consuluistis patriæ, quam hominibus longe infrequentiorem reddidistis; nec prudenter fecerunt principes qui id vobis permiserunt, cum nullæ sint certiores o-

pes reipublicæ, multitudine ac frequentiâ hominum. Jam metuo, ne Angliâ, auri cupiditate illecta, totam se effundat in illas insulas, recens à Furbissero repertas: quarum possessio ne vobis eripiatur, quantum Anglici sanguinis fundendum existimas? Nulla erit gens ex iis quæ oceanum nostrum accolunt, quæ non sit de earum possessione certamen vobiscum susceptura. Cum olim quidam cives Carthaginenses, navigantes in mari Atlantico, delati fuissent tempestatibus ad quædam loca, quorum amœnitatem et fertilitatem reversi in patriam mirum in modum prædicabant; senatus metuens ne populus illectus eâ amœnitate et fertilitate, desertâ patriâ eo navigaret, eos qui hæc referebant sustulit, ut si qui vellent eo navigare, istis sublatis, duces ipsis deessent. Ergo hæc bona, quæ nobis Deus suâ benignitate offert, omittenda censes, et in eorum authorem animadvertendum? Nequaquam hoc volo; imo ego summopere laudo Furbisseri magnanimitatem, industriam, ac etiam felicitatem, et magnis præmiis eum dignum esse judico: nam non dubito, quin authores susceptæ ab eo difficilis istius ac periculosæ navigationis (sive ipse fuerit, sive alii) respexerint ad eas opes quas Hispani et Portugallenses longinquis suis navigationibus sibi paraverunt. Cum itaque scopum attigerit in quem collimabat, quis erit tam iniquus rerum ejus æstimator, ut eum magnâ laude dignum non censeat? Ego vero ad te respicio, qui hanc ob rem exultas, perinde ac si patriæ esset optime consultum, cum præsertim superiore vere in te animadverterim cupiditatem aliquam suscipiendæ ejusmodi navigationis. Quod si tunc inanis illa spes reperiendi fretum quam Furbisserus conceperat, animum suum solicitare potuit, quid poterunt montes illi aurei, vel potius totæ insulæ aureæ, quæ forte dies ac noctes jam animo tuo obversantur? Cave, obsecro, ne illa (ut ait Poeta) auri sa-

cra fames irrepat in animum tuum, in quem nihil hactenus admisisti præter amorem virtutis, et studium bene merendi de omnibus. Erras, si credis homines fieri ætate meliores; id nam est rarissimum. Fiunt quidem cautiores, et vitia animi ac pravos suos affectus occultare discunt; quod si quem senem novisti in quo aliquid probitatis superesse judices, crede eum in adolescentia fuisse optimum. Quandocunque igitur affectus aliquis, tibi antea ignotus, animum tuum solicitabit, ne statim ipsi indulgeas, etiamsi id ad quod te volet impellere tibi laude dignum videatur; sed antequam eum admittas, diligenter tecum perpende, quid sit illud quod te solicitat; ne, si quid incaute incipias, cogaris habenas reflectere, ubi te errare senties, vel (quod longe est deterius, et sæpe fieri solet) pudore impeditus nolis fateri te errasse, et propterea institutum tuum urgeas. Quorsum hæc inquies? Ut si forte insulæ illæ aureæ altius in animo tuo insederint, eas inde deturbes, antequam te plane expugnaverint, teque patriæ et amicis incolumem ad res meliores serves. Quod si desiderium parandæ laudis et gloriæ reddit tibi insuave illud otium quod jam frueris, pone tibi ob oculos veteres illos Chandosios et Talbotos, quorum imitatio te majore laude et gloriâ cumulabit, quam possessio omnium earum opum quas Hispani ex novo suo orbe advexerunt, quarum fiduciâ omnes Europæ gentes contempserunt, et suâ arrogantiâ à se ita abalienaverunt, ut jam sentiant, et forte brevi magis sentient, se rationes suas non recte instituisse. Vellem te scripsisse quanta sit altitudo nostri poli in illis insulis: inde nempe conjici posset, an loca vicina culturam pati possint, et proferre necessaria ad victum hominum, et materiam ad ædificia. Aluntur vaccæ ac alia etiam pecora ab iis qui sub circulo Arctico incolunt, qui jam etiam fruges serere cœperunt. Vaccæ eorum præbent

per

per æſtatem lac multo majore copiâ quam noſtræ, et longe pinguius. Ultra ſeptuageſimum gradum elevationis poli vix proveniunt arbores quæ aptæ ſint ad ædificationes; ita enim aduruntur frigore, ut in magnam altitudinem excreſcere non poſſint. Sunt tamen qui dicunt excreſcere in convallibus, quæ non infeſtantur ventis ſpirantibus à ſeptentrione. Si ſpes illa auri, quæ ſe vobis oſtentat, non vos fefellerit, neceſſe erit ut muniatis portum aliquem in quo naves veſtræ ſtationem habeant; quod ſi regiones eſſent patientes culturæ, longe conſultius eſſet oppidum conſtruere quam arces, in quibus alenda erunt præſidia quæ magno conſtabunt, nec erunt magni uſûs iis, quorum operâ in exercendis venis aureis vobis utendum erit, quibus oppidum res neceſſarias ſuppeditaret, quas mercatores, illecti ſpe lucri, eo conveherent. Portugallenſes experti ſunt maximas difficultates in Indiis antequam deducerent coloniam Goam; quâ deductâ, omnia fuerunt ipſis longe faciliora quam antea: potuerunt enim pecuniâ ibi coemere ea quæ aliàs fuiſſent ipſis petenda ex Hiſpania. Etiamſi rebus aliis ad vitam neceſſariis loca illa caruerint, magnam ſaltem piſcium copiam vobis ſuppeditabunt, et ſi qui eſſent ibi incolæ, poſſent ex piſcatione quæſtum facere; ut ab Iſlandis et Norvegis fieri videmus, qui ingentem vim piſcium induratorum frigore Germanis et aliis vicinis gentibus ſuppeditant. Jura Guttenburgenſia, quæ à me petis, neſcio an nancisci potero. Scribam tamen de ea re ad amicos, quos habeo in Bohémia; quamvis non exiſtimem, ea poſſe vobis eſſe magni uſûs, cum tota ratio opificii metallici ſit ibi longe diverſa ab ea quam oportebit vos inſtituere, cum Guttenberga ſit in regione cultiſſima, nec ibi princeps ſuâ pecuniâ venas metallicas exerceat; exercentur nempe ab hominibus privatis, qui principi decimas pendunt. Ego omnino con-

 ſulo,

ſulo, ut legas ſcripta Georgii Agricolæ, de ortu et cauſis ſubterraneorum, et de opificio metallico. Fuit præſtantiſſimus philoſophus, et longe ſuperavit omnes qui ante ipſum de iis rebus ſcripſerunt. Si ejus ſcripta iſtic non proſtant, ego proximo vere ea ad te mittam: hic nempe jam haberi non poſſunt. Vide quam habeam defixas cogitationes in illud veſtrum aurum, qui tantum nugarum potuerim huc congerere, ut oſtenderem mihi voluntatem ad te ſcribendi non deeſſe, etiamſi deſit argumentum. De rebus publicis nihil fere habeo quod ſcribam; nam quæ geruntur in Belgio, Pruſſia, et Livonia, ad vos citius quam ad nos perferuntur. Si tantum eſſet animi in militibus Germanicis quantum eſt in theologis, tantâque pertinaciâ oppugnarent ſuos hoſtes quantâ iſti oppugnant eos qui in ipſorum verba jurare recuſant, nullæ intra paucos menſes ſuperfuturæ eſſent in Pannoniis et Livonia Turcarum et Moſchorum reliquiæ. Frueremur ſane in Germania altâ pace, niſi eam iſti nobis inviderent. Quoniam autem valde metuo irritabile hoc hominum genus, non ſcribam quid ipſi moliantur; ſed id tibi narrandum relinquam clariſſimo Domino Belo, in quem ad vos reverſum ſua tela fruſtra conjicient. Facta eſt diviſio hæreditatis paternæ inter Imperatorem et ejus fratres. Cujuſmodi autem ſit clam habetur. Puto Tirolenſem Comitatum et reliqua quæ poſſidet Ferdinandus Archidux ceſſura fratribus Imperatoris (poſt ipſius Ferdinandi mortem); Auſtriam vero ipſi Imperatori, qui, quamdiu vivet Ferdinandus, pendet cuilibet fratrum annua octoginta millia aureorum Germanicorum ſeu Florenorum. Aiunt Archiducem Erneſtum deſignatum eſſe proregem Hungariæ, cui præter illa octoginta millia aureorum ex paterna hæreditate provenientium, dabuntur ab Imperatore quotannis quadraginta millia, et ab Hungaris triginta

millia,

millia. Ejus vicarium seu legatum dicunt fore Suendium, qui apud hunc Imperatorem plurimum valet authoritate, et jam vivit Viennæ. Imperator præ se fert sibi valde improbari fugam Matthiæ fratris, et jussit inquiri in eos qui ipsius consilia adjuverunt. Paulo post ejus discessum, venit Viennam Amiralius regni Castellæ, qui est ab Imperatore apparatu plane regio exceptus. Is publice deplorat infelicitatem Matthiæ, cui (ut ait) nequaquam parcent Hispani, si cum hæreticis et rebellibus consilia contulerit. Pulchre sane instructa est hæc fabula; sed caveant aucupes, ne se suis retibus involvant. Aiunt hunc Amiralium venisse ad Imperatorem, ut de ejus conjugio et filiæ Regis Hispaniæ agat. Pugnarunt nuper ex provocatione ad fossam urbis Viennensis Nicolaus Comes Salmensis et Otto Henricus Baro à Bouchan, quorum uterque fuit Imperatori à consiliis bellicis. Salmensis alterum interfecit, ab ipso tamen prius vulneratus. Familia Baronum à Bouchan recensetur inter maxime illustres familias Austriæ. Referunt suam originem ad Comites à Bouchan Scotos. Elector Brandenburgensis ambivit nuptias ejus principis, cujus inter nos facta fuit mentio cum ad ostia Mœni obambularemus. Verum ipsa existimans suam fidem obstrictam ei quem nosti, ex promissione facta fratri, nondum accepto ab eo responso, noluit alio suos amores convertere. Itaque duxit uxorem filiam Principis Anhaldini. Nescio an rideas meum vaticinium Viennense: verum ego jam incipio sperare me non fore falsum vatem; nam videntur mihi res inclinare in eam partem in quam casuras prædixi: vestrum est eas impellere; quod si feceritis, paci et tranquillitati vestræ patriæ optime consuletis. Valde doleo te non accepisse scriptum de præsidiis Hungaricis. Nolueram illud concredere ministris Comitis Hanavii, metuens ne ab ipsis negligen-

tius

tius curaretur. Cum autem ſub exitum noſtrarum nundinarum, Dn. Daniel Rogerſius hinc navigaret Moguntiam, ut quibuſdam euntibus in Angliam literas à ſe ſcriptas traderet, dedi ei ſcriptum convolutum in cylindrum ſimul cum meis ad te literis, et petii ut illud ſuis literis adjungeret; quod ſe feciſſe mihi, poſtea retulit. Id accidit, ſi recte memini, 23. die Septembris. Quid poſtea de ſcripto et literis meis ſit factum, poteris ex Dn. Rogerſio quærere, ubi ad vos redierit. Si nondum illud acceperis cum hæ literæ tibi reddentur, peto ut id mihi quamprimum ſignifices, quo poſſim agere cum noſtro Andrea Paullo, ut illud mihi denuo deſcribendum curet; nam ea quæ continet videntur mihi cognitu digniſſima. Accepi Slavatæ ſyngrapham, pro qua tibi ago gratias. Mittam eam ad ipſum cum tali elogio quale ejus ſtultitia meretur. Wackerus, de quo videris eſſe ſolicitus, eſt Spiræ. Doct. Purkircherus Poſonienſis nuper periit peſte, cum tota fere familia. Noſtro Cluſio ademptum eſt ſtipendium quod ab Imperatore habuit; quod haud dubie odio purioris religionis eſt factum. Serione ſcribis in poſterioribus tuis literis te in Germaniam reverſurum? Metuo ne me inani ſpe lactare velis; nam non audeo tantum boni ſperare. Quidquid in ea re conſtitues, opto ut ſit tibi fauſtum et felix. Bene vale.

Francofurti, 28. die Novembris 1577.

LXII.

AD prolixiores ac ſuaviſſimas illas tuas literas ita reſpondi, ut fere non dubitem, quin te literarum mearum ſatietas jam ceperit, quare mihi poſthac cavendum erit, ne ad eam ſatietatem faſtidium adjiciam. Studebo itaque brevitati; verum quid opus eſt multa

ſcribere

scribere istuc euntibus optimis ac mihi carissimis, tuique amantissimis, viris, Dn. Daniele Rogersio, Serenissimæ vestræ Reginæ oratore, et nostro equestri Doctore (ut tuis verbis utar); quicquid nam scribam id tibi præ eorum suavissimis sermonibus sordebit. Quæ causæ Beutterichium istuc pertrahant ex ipso audies, et præterea Illustrissimum Principem Casimirum esse tui amantissimum, tibique gratificandi cupidissimum. Cum nullum aliud scribendi argumentum jam mihi suppetat, volo tecum liberius meo more nugari, et de rebus Germanicis liberius scribere. Ne dubites quin non solum Hispani et Galli cupiant oppressos eos qui in Belgio suam libertatem armis asserere conantur, sed etiam aliqui ex primariis principibus Germaniæ, qui non deerunt suis occasionibus quandocunque sese offerent. Facile credo, vos esse ita intentos in Gallorum et Hispanorum molitiones, ut daturi sitis operam ne multum nocere possint. Si etiam de Germanis cogitationem aliquam susciperetis, faceretis (ut existimo) rem non indignam vestræ reipublicæ amplitudine, nec inde parum authoritatis vobis accederet. Porro turbaretis consilia Gallorum et Hispanorum, quorum factiones in Germania non sunt invalidæ; et frenos injiceretis Germanis, qui Belgas cupiunt opprimi ab Hispanis; quibus ad eam rem futuri sunt adjumento quandocunque eorum opera requiretur. Pergam ineptire postquam semel cœpi. Bonam forte rationem id perficiendi quod dico iniretis, si tribunos aliquot militares annuo aliquo stipendiolo vobis obstrictos haberetis; quorum operâ etiamsi in conscribendo milite non uteremini, ex ea re tamen non parum authoritatis vobis accederet, majorque vestri ratio haberetur posthac in Germania quam hactenus habita sit; nec defuturæ essent interdum vobis occasiones injiciendi aliquid impedimenti molitionibus eorum qui vobis non bene cupiunt.

unt. Ne vero instar scoparum dissolutarum, ad nullas res idonei essent isti tribuni, et propterea vobis inutiles; deligendus videretur vir aliquis virtute et dignitate præstans, qui suâ authoritate tanquam fasciâ eos constringeret, vestroque beneficio imperii aliquid in eos haberet. In nullum autem posset ejusmodi imperium majore cum fructu conferri, quam in Illustrissimum Principem Casimirum; imo illum solum esse in Germania in quem conferri possit, me tacente, tibi compertum est; sive spectemus ejus studium et observantiam erga Serenissimam Reginam ac vestram rempublicam, sive natalium ejus splendorem, sive florentem ejus ætatem, sive rei militaris usum et peritiam, et virorum militarium erga eum benevolentiam. Cum jam mihi deesset ad te scribendi argumentum, vides quale ego mihi confinxerim. Quod si quæ propono tibi non improbantur, eorumque procuratorem te constituas, apud necessarios et amicos tuos, qui dignitate et authoritate valent in vestra republica, tu in uno saltu (ut loquitur Erasmus) capies duos lepores; nam saniores judicabunt te de salute patriæ esse solicitum, eoque nomine apud ipsos inibis gratiam: Illustrissimo vero Principi Casimiro probabis, te esse memorem humanitatis quam tibi exhibuit, et studium de ipso bene merendi ostendes. Quod si ista nec vobis utilia, nec factu facilia, esse judicas, obsecro, ut æterno silentio ea sepelias, nec meas literas cuiquam ostendas. Si vero tibi non plane absurda videbuntur, consulo ut cum nostro equestri Doctore de iis conferes, nemo nempe tibi melius explicare poterit, quantum hæc in se momenti habeant, et an sint utilia factu. Non necesse est, ut eum tibi commendem; nam ut de eo nihil aliud dicam, eo nomine tibi commendatissimus esse debet, quod sit tui observantissimus et amantissimus. Cum Domino Rogersio jucundum mihi fuit veterem amici-

 tiam

tiam renovare, ac ex ejus ſuaviſſima conſuetudine maximam voluptatem cepi. Si ipſi in aliqua re mei cauſâ gratificatus fueris, judicabo à te collatum eſſe in me beneficium. De Domino Belo ſum mirum in modum ſolicitus. Diſcedens hinc promiſit mihi, ſe in reditu hac iter facturum. Dimiſſus eſt ex aula Saxonica ſexto die ſuperioris menſis, ſub cujus finem dixerat ſé ad nos reverſurum. Ita jam ex meo morbo convalui, ut à quatuor aut quinque diebus in publicum prodire cœperim. Bene vale.

Francofurti, 26. die Decembris 1577.

LXIII.

NOſtræ Sirenes Saxonicæ tandiu detinuerunt clariſſimum Dominum Belum, ut ejus causâ non parum ſoliciti fuerimus; ſed huc reverſus ſalvus et incolumis nos omni ſolicitudine liberavit, ac ſuâ ſuavi conſuetudine per aliquot dies beavit, quamvis ſane voluptatis, quam ex ejus conſuetudine cepimus, bonam partem debeamus hibernis tempeſtatibus quæ ejus iter remoratæ ſunt. Tu proximo vere fuiſti erga nos minus humanus; nam ita properaſti, ut videreris potius amicos fugere quam reditum in patriam accelerare. Si ad nuptias properaſſes, nobis minus grave fuiſſet, te tam cito nobis eripi; nec ſane deerant inter nos qui eam eſſe cauſam tuæ feſtinationis ſuſpicarentur. Ego quidem cum iſtis non ſentiebam; ſed tamen valde miror, te, quem in gremio Gratiarum educatum omnes judicant, potuiſſe tuam libertatem tandiu tueri. Tu forte conſtituiſti te ad veſtræ Palladis exemplum componere; at vide ne te ejuſmodi inſtituti ſero pœniteat; et perpende tecum, quanta ſit

eorum felicitas, quibus domum redeuntibus, ut ait Poeta,

—— " Dulces occurrunt oſcula nati
" Præripere, et tacitâ pectus dulcedine tangunt."

Conſule de ea re Dominum Belum, qui non putat quemquam poſſe beate et feliciter vitam in cœlibatu tranſigere. Spero Dominum Rogerſium et noſtrum Beutterichium ſalvos et incolumes dudum ad vos perveniſſe. Ab eorum diſceſſu, nihil accidit in Germania dignum quod ad te ſcribatur. Domino Belo non parvæ difficultates ſeſe objecerunt, dum demandatum ſibi munus exequitur; quas tamen prudentiâ et ingenii dexteritate ita ſuperavit, ut ſperem à noſtris eccleſiis depulſa eſſe pericula quæ ex Jacobi Andreæ, et aliorum quorundam theologorum molitionibus, ipſis impendere videbantur. De fœdere ineundo tu ſcis quæ fuerit mea ſententia, cum ejus rei apud me mentionem Norimbergæ primum feciſti. Ii quibus ſunt utcunque notæ res Germanicæ, ſciunt quam non ſit facile id perficere, quod eſt tentatum primum à Domino Rogerſio apud aliquot principes, et poſtea à Domino Belo apud plures. Objicies forte mihi fœdus Smalcaldicum, quod, veſtro Rege Henrico et Franciſco Gallorum procurantibus, coaluit. Alia tunc fuit ratio temporis. Facile fuit ad fœdus impellere principes qui erant excelſo animo, et in re militari exercitati, et qui ſuâ ſponte illud appetebant, metu Caroli Imperatoris, à quo ſibi multum periculi imminere videbant ob mutatam religionem; et tamen illius fœderis exitus fuit triſtis et exitioſus multis. Quare nemini mirum videri debet, ſi noſtri principes ab ejuſmodi conſiliis abhorreant, cum nihil præſentis periculi ſibi imminere videant, eoſque diuturna ſecuritas cupidiores otii red-
diderit,

diderit, quam vel Landgravius Philippus vel Joannes Fridericus Saxo fuerint. Etiamſi in hac parte res ex animi ſententia vobis non plane ſucceſſerit, nequaquam tamen operæ in eam impenſæ vos pœnitere debet, cum inde Sereniſſimæ Reginæ exiſtimationi non parum in Germania acceſſerit. An non hoc magnâ laude dignum eſt, habendaque eſt ipſi gratia, quod teſtata ſit ſe de ſalute eccleſiarum et principum qui jugum tyrannidis Pontificiæ excuſſerunt adeo ſolicitam eſſe, ut ad pericula communi conſilio et conjunctis viribus propulſanda eos invitaverit, ſeque ducem eis præbere voluerit. Ego ex animo opto, ut ipſis omnia feliciter eveniant; verum ſi accidat, ut poſthac oppugnentur ab adverſario, cui nequaquam ſint pares, ſuam ſtultitiam haud dubie accuſabunt, et dicent ſe merito plecti, cum hanc occaſionem conſulendi ſuæ ſecuritati neglexerint. Non fruſtra etiam à Domino Belo videretur ſucceptum hoc moleſtum et laborioſum iter, etiamſi nihil aliud præſtitiſſet quam quod exploravit, quo ſint animo erga veſtram rempublicam principes ad quos acceſſit; quorum plerique teſtati ſunt ſe Sereniſſimæ Reginæ virtutem admirari et colere, ac vobis optime cupere. Non male meo judicio faceretis, ſi interdum in Germaniam mitteretis viros, et induſtrios, et rerum Germanicarum peritos, qui iſtorum animum erga vos confirmarent, ac darent operam, ut vobis plurium benevolentiam conciliarent; nam eâ ratione nomen Sereniſſimæ Reginæ redderetur auguſtius in Germania, et magis ac magis perſuaderetur principibus, vos de ſalute eorum eſſe ſolicitos, et forte paulatim perveniretur ad illud fœdus de quo jam eſt actum. Si hæc, de quibus moneo, tibi non videntur plane abſurda, conſulo ut cum Domino Belo de iis conferas; nemo enim ea tibi melius explicare poterit. Niſi ſcirem te ejus virtutem, ingenium, ac multarum rerum peritiam

amplecti, peterem à te, ut in mei gratiam aliquid ei benevolentiæ exhiberes. Sed scio non esse opus ejusmodi petitione. Illud tantum peto, ut tibi persuadeas eum esse tui amantissimum, et de te sentire ut decet, et ut ego cupio. Si plurimum ejus consuetudine usus fueris, te nunquam ejus rei pœnitebit. Faxit Deus Omnipotens, ut hoc anno, ad cujus initium pervenimus, omnia tibi feliciter eveniant, et ut, ductâ uxore tuis moribus conveniente, intra ejus finem videas "pulchrâ factum te prole parentem."

Francofurti, 8. die Januarii 1578.

LXIV.

SUmmam quidem voluptatem mihi attulerunt prolixiores illæ literæ quas superiore mense Octobri ad me dedisti; verum ego jam metuo, ne nimium ex tuo erga me amore in eas literas effuderis, cum non ut antea breves, sed prorsus nullas, à quatuor mensibus ad me dederis; quod quam mihi sit grave, eorum judicio permitto qui sunt experti quantum possit in animis nostris vehementissimus amor. Quid enim in tam diuturno tuo silentio aliud suspicari possum, quam te non boni consuluisse liberiores jocos quos interdum meis literis insero? vel tibi aliquid adversi accidisse, quod sit in causa ut non scribas? quod utrumque non posset non maximum dolorem mihi adferre. Sub initium quidem hiemis, meam ad te scribendi consuetudinem aliquandiu intermisi; at id feci gravissimo morbo impeditus. Postquam utcunque convalui, dedi operam, ut diligentiâ compensarem id quod coactus prætermiseram. De rebus publicis, vel etiam de meis privatis, non necesse fuit me scribere, redeuntibus ad vos clarissimis viris, Domino Belo, Domino Rogersio,

Rogersio, ac nostro optimo Beutterichio, quibus et publica et mea privata non minus fuerunt nota quam mihi. Spero autem bonos istos viros, ac mihi carissimos, ad vos dudum pervenisse incolumes. Obtestor te, per nostram amicitiam, et per eam spem quam de te concepi, ut quamplurimum Domini Beli consuetudine, ac etiam consilio, in tuis rebus utaris. Nôsti quam magnifice de eo antea senserim; jam vero non possum eum satis admirari. Ætate et rerum usu ejus prudentiæ plurimum accessit; at animus nihil prorsus labis in aula contraxit; nam video eum ita alienum ab omni fuco et simulatione, ut crèdam non posse eum in animum inducere, ut cuiquam assentetur. Ejusmodi hominum consuetudinem summo studio expetere deceret vos, quibus pleno sinu fortuna omnia indulget, cum difficile sit etiam iis, qui inter vos sunt cautissimi, assentatorum retia effugere. Hunc autem habes tuæ virtutis, et non tuæ fortunæ, amantissimum; qui, si permittas, libere te monebit de iis quæ ad tuam dignitatem et amplitudinem pertinebunt, et quid tibi sit præcavendum. Hìc omnium animi in eventum tumultuum Belgicorum sunt erecti, de quibus, cum istic habeatis certiora nostris, nihil scribam. Quoniam Archiducis Matthiæ adventus ad ea loca non peperit eos effectus quos speraverant ii quorum consilio illuc est profectus, cum ab ejus adventu principis Arausii authoritati, præter ipsorum spem, plurimum accesserit, jam ad alia consilia devenitur; nam Imperator dicitur agere cum electoribus imperii, ut se cum ipso arbitros pacis constituant inter Regem Hispaniæ et Belgas, et ob eam rem alicubi conveniant. Ne hoc quidem aucupium habiturum successum existimo; aviculæ enim crebris insidiis redditæ sunt minus securæ et cautiores. Audio non omnes electores illud Imperatoris consilium probare. Ipsa etiam clades, quam nuper

intulerunt Belgis Hiſpani, evertet ea conſilia Imperatoris, et reddet ipſos Hiſpanos arrogantiores, et à conſiliis pacis alieniores. Huc ſcribitur Antuerpiâ, Belgas, ſuo malo edoctos, jam longe plus Arauſio tribuere quam antea, et pleraque ad eum referre; et ea quæ ad bellum pertinent ejus arbitrio fere omnia permittere, ut de iis conſtituat, prout reipublicæ conducere judicabit; quæ ſi ſunt vera, ego propemodum ipſis gratulor cladem quam nuper acceperunt. Nunquam ego ſperavi eos, qui ſummæ rerum hactenus præfuerunt, aliquid recte adminiſtraturos, cum viderentur mihi non intelligere in quantis periculis verſarentur, nec præſentibus malis remedium quærere, et odiſſe eos qui dabant operam ut ipſorum ſaluti conſulerent. Invaleſcit hic fama de auxiliis decretis ipſis Belgis à Sereniſſima veſtra Regina, et adjicitur, Illuſtriſſimum Leiceſtriæ Comitem fore ducem copiarum quæ ipſis mittentur ſubſidio; quæ ſi ſunt vera, jam es conſecutus id, quod tu tantopere expetiviſti; nam non dubito, quin illi expeditioni ſis interfuturus. Non vellem, etiamſi poſſem, animi tui alacritatem verbis retundere, aut labefactare; ſed tamen moneo te, ut interdum tecum perpendas, juvenes qui ſe in pericula incaute conjiciunt, plerumque inglorios interire, et eripere ſibi facultatem bene merendi de patria; non poteſt enim multa patriæ præſtitiſſe, qui in prima juventa fato concedit. Vide itaque, ne nimia laudis aviditas te tranſverſum rapiat, et ne præclarum nomen fortitudinis attribuas vitiis quæ cum ipſa aliquid commune habere videntur. Ea eſt noſtræ ætatis infelicitas, vel potius ſtultitia, ut plerique eorum qui illuſtri loco ſunt nati, putent eſſe magis glorioſum uſurpare munus militis quam ducis, et malint ab audacia ſibi nomen comparare quam à prudentia. Itaque apud noſtras gentes vix licet conſpicere veteranum ducem,

quod noſtræ temeritati eſt adſcribendum. Soli Hiſpani eo genere ſtultitiæ non laborant, et ob eam rem habent duces rei militaris peritiſſimos, qui plura ingenio perficiunt quam viribus; quod ſatis conſtat ex iis quæ his proximis decem annis in Belgio geſſerunt, ut tantum ea adferam quæ tuâ ætate acciderunt, et quorum potes meminiſſe. Hodie literas accepi ex aula Cæſarea; in quibus ſcribitur, Iſmahelem Regem Perſarum diem ſuum obiiſſe; quare putant Amurathem Imperatorem Turcicum omiſſurum expeditionem quam adverſus ipſum moliebatur; quæ res nec erit grata Cæſarianis, nec Hiſpanis, qui adhuc agunt Conſtantinopoli de induciis. Bene vale, et ſaltem reſcribe, te valere.

Francofurti, 15. die Februarii 1578.

LXV.

POſtremæ tuæ ad me literæ ſcriptæ erant menſe Octobri. Noſter Beutterichius in ſuis ad me literis mirum in modum prædicat tuam erga ſe humanitatem et liberalitatem. Idem faciunt alii qui ad me ſcribunt. Ego ex ea re capio maximam voluptatem; nam nihil magis cupio, quam videre te virtute ſupra omnes florentem. Adſcribo meæ infelicitati, quod ad me amplius non ſcribas; nam non poſſum mihi perſuadere, te animum erga me mutaſſe. Omnes ſunt hic intenti in eventum rerum Belgicarum. Hiſpanorum victoria non peperit eis tantum fructum quantum metuebamus ne pareret; verebamur enim, ne ex primariis urbibus aliquæ ad eos deficerent. Fuit fere neceſſarium, ut ordines Belgici clade aliquâ ſuæ ſtultitiæ admonerentur. Jam diligentius quam antea, parant ea quæ ſunt ad bellum neceſſaria, et ſuas urbes muniunt; nec parum eſt, quod principi Arauſienſi

belli

belli administrationem permiserint. Dux Ericus Brunsvicensis ducit ad Joannem Austriacum tria millia equitum, qui intra paucos dies recensebuntur in Episcopatu Monasteriensi. Guntherus Comes Schwartzburgius et Christophorus Baro à Tautenburg conscripserunt Ordinibus seu Statibus, quatuor millia equitum, quorum aliqui dicuntur jam Rhenum trajecisse. Quid cum Illustrissimo Principe Joanne Casimiro agatur, non est tibi ignotum. Si Belgæ poterunt bellum per æstatem ducere, conjicient Hispanos in magnas difficultates. Imperator valde cupit rem ad pacificationem deducere, quod puto ipsi fore difficile. Præ se fert se maxime improbare Hispanorum consilia, ut sibi fidem apud Belgas comparet. Jam profitetur, se fuisse authorem Matthiæ fratri, ut in Belgium iret. Quam caute id faciat nescio, cum id antea constanter pernegaverit, et simulaverit, se graviter succensere iis qui ejus discessum promoverant. Non patietur Pontifex Romanus controversiam de religione ita componi, ut ejus authoritati aliquid decedat; in qua re diligentem operam navabit ei Inquisitio Hispanica, et propterea frustra de pace agetur. Nescio quam ob causam Galli, qui Joanni Austriaco militabant, in Galliam redeant. Forte nostros homines jam tædet pacis, vel metuunt ne Belgæ aut Hispani, stultitiæ, vel potius insaniæ, palmam ipsis eripiant. Dux Sabaudiæ ambit nomen regium in aula Cæsarea. Laudo; nam Cottus Alpibus, quas jam possidet Sabaudus, regio nomine olim imperavit. Utitur Sabaudus in ea re operâ Oratoris Hispanici, fratris Ducis Gandiæ, quorum pater sectæ Jesuiticæ nomen dedit. Novit aula Cæsarea uti vanitate Italorum ad sua commoda; quare non est, quod Sabaudus speret, se per Hispanum, aut quenquam alium, consecuturum id quod ambit, nisi multum pecuniæ in eam rem impenderit.

Aiunt

Aiunt eum ambire nuptias ſororis Imperatoris viduæ. Haud dubie feret repulſam. Hic audivi eum etiam agere de filia Ducis Lotharingiæ, quod vix credo, niſi forte filio ejus petatur; nam eſt nata quatuordecim annos tantum. Poloni jam celebraverunt conventum Warſaviæ, in quo deliberatum eſt de bello Moſcovitico; nam Moſchus, ſuperiore æſtate, pene totam Livoniam occupavit, et jam Lithuaniæ imminere dicitur. Poſt diuturnas diſceptationes, aiunt, tandem factum eſſe decretum, de conferendis vigeſies centenis millibus aureorum ad illud bellum. Qui ſunt periti rerum Polonicarum judicant non eſſe tantum pecuniæ in tota Polonia. Conceſſa eſt in eo conventu major libertas iis qui puriorem religionem profitentur quam unquam antea. Interea autem, dum Poloni in ſuo conventu tempus terunt diſceptationibus, Tartari tribus agminibus irruperunt in Volhiniam, Podoliam, et Ruſſiam, eaſque miſere depopulati ſunt. Quodlibet agmen dicitur fuiſſe viginti millium equitum. Suæ excurſioni pretexunt, non ſolutam ab aliquot annis pecuniam quam Poloni ſoliti ſunt quotannis illis pendere. In eo erravit Rex Poloniæ, quod ſperavit ſe poſſe eos per Turcas compeſcere. Aiunt Moſchum eos impuliſſe datâ pecuniâ, quæ apud illos barbaros plus potuit quam Turcarum authoritas. Ante duos aut tres menſes, quidam ex nobilitate Polonica, cujus nomen mihi jam non ſuccurrit, ſtipatus tantum trecentis militibus ex eorum numero qui ad fines Tartarorum excubare ſolent, et *Kozaki* nominantur, occupavit Moldaviam, pulſo Petro Vaiuodâ, ibi à Turcis conſtituto, poſt interfectum Ivoniam. De ea re cum apud Regem Poloniæ conqueſti eſſent Turcæ, is, ſummiſſo milite ex Tranſylvania et Ruſſia in Moldaviam, novum illum Vaiuodam curavit in vincula conjici, et in Poloniam captivum duci. Ita Regis prudentiâ ſedatus eſt

ille tumultus ſine effuſione ſanguinis. Reſtitutus eſt autem in ſuum regnum Petrus, cujus frater Alexander eſt Vaiuoda Valachiæ Tranſalpinæ. Quanta rerum mutatio! Potuit pelli Moldaviâ Princeps à trecentis Polonis, et ante centum annos ibi regnavit Stephanus, qui multis magnis præliis ſuperavit Mahometum Turcarum Imperatorem, Matthiam Regem Hungariæ, Joannem Albertum Regem Poloniæ, et Tartaros Precopienſes. Bathorii, Regis Poloniæ, prudentiam et animi moderationem omnes valde laudant. Gaudeo nos habere in orbe Chriſtiano ſaltem unum regem in quo ſit aliquid virtutis. Male habet Polonos, quod Germani ipſum laudent. Scripſit mihi de eo Doct. Andreas Paullus, qui interfuit pacificationi Dantiſcanæ, nomine Electoris Saxoniæ, et poſteaquam rediit in Germaniam; juſſit eum Elector ſtatim recurrere in Poloniam cum Marchione Georgio Friderico Brandebur. qui à Rege Poloniæ accepit inveſtituram Ducatûs Pruſſiæ. Mitto ad te ſcriptores rerum Germanicarum, ut à me petiiſti. Dedi eos, colligatos in tres faſciculos, Aſcanio de Remalme, bibliopolæ Londinenſi, cui pro vectura ſatisfaciendum erit. Scribe quos præterea velis ad te mitti. Mitto etiam ſcriptum de præſidiis Hungaricis, quod jam antea miſeram. Ego tibi omnia fauſta et felicia precor.

Francofurti, pridie Calend. Aprilis 1578.

Ego tibi diligenter commendo Dominum Joannem Raphaelis, virum pium, prudentem, et moderatum, qui has meas literas tibi reddet, cui peto ut aliquid humanitatis exhibeas.

LXVI.

LXVI.

HEri ad te ſcripſi per nobilem virum Joannem Raphaelis, Avenionenſem, qui hinc hodie diſceſſit ſummo mane cum Roberto Cambier, bibliopola Londinenſi, qui ſimul cum meis literis tibi reddet ſcriptum de præſidiis Hungaricis, quod à me antea miſſum, ſcripſiſti te non accepiſſe. Miſi etiam ad te ſcriptores rerum Germanicarum, qui mihi in mentem venerunt, et quos potui hic reperire, quos ad te vehendos tradidi Aſcanio de Remalme, bibliopolæ Londinenſi, à quo erunt repetendi, eique vecturæ pretium numerandum. Si alii tibi veniant in mentem quos cupias habere, id mihi ſignifica, et ego eos proximis nundinis ad te mittam, modo hic reperiantur. Ad te autem ideo jam ſcribo, quia Dominus Nocolaus Bromius, Illuſtriſſimi Saxoniæ Electoris Conſiliarius, et hujus civitatis patricius, petiit à me, ut hunc adoleſcentem, Joannem Fridericum Bromium, fratris ſui filium, alicui commendarem in Anglia, ubi cupit eum aliquandiu vivere, ut poſſit mores excolere, et linguam veſtram addiſcere. Quoniam mihi vetus amicitia intercedit cum Domino Bromio, ſumque ei pluribus in me officiis devinctus, non potui ei denegare id quod à me petiit. Quare commendo tibi ipſum adoleſcentem, et peto à te ut cum Domino Wottono, vel cum aliquo alio tuo amico, agas ut eum in ſuam familiam recipiat. Spero eum ſuo Domino, quicunque ille erit, diligenter inſerviturum, et fidelem fore non dubito. Aliquid officii Domino Nicolao ejus patruo eo nomine debetur, quod fuerit præcipuus author ut Angli exules, poſt mortem Regis Edvardi, in hanc urbem reciperentur, et eis templum concederetur, in quo ſuæ religionis liberum

 exercitium

exercitium haberent; nam in hac republica tunc gerebat magiſtratum. Ignoſce, quæſo, quod ejuſmodi commendationibus tam ſæpe ſim tibi moleſtus, et non dubita, quin ſemper ſint futuri qui à te beneficium petant, quamdiu non deſines eſſe beneficus. Ego tibi omnia fauſta et felicia precor.

Francofurti, Calend. Aprilis 1578.

LXVII.

NON tam miror te eſſe in ſcribendo negligentem, quam quod audeas me negligentiæ accuſare; me, inquam, qui pro unis literis quinas aut ſenas tibi interdum rependere ſoleo. An non hoc eſt mihi inſultare, aut ſaltem illudere, quod cum à menſe Octobre unicas ad me literas dederis, nihilominus in iis conquereris, te nimio otio remiſſiorem fieri? O vos fortunatos nimium! quibus de nimio otio conqueri licet, quod utinam diu vobis facere liceat. Sed pleroſque eorum qui illuſtri loco ſunt nati ea inſania invaſit, ut "parta per humanas quærant cognomina cædes," et nihil glorioſum ſibi contingere poſſe credant quod non ſit cum exitio generis humani conjunctum. An non deceret te, quem Deus tot eximiis animi dotibus ornavit, aliud ſentire quam ii qui in denſis ignorantiæ tenebris ſepulti, omnem hominis virtutem in robore corporis conſiſtere putant, qui, etiamſi ſint robuſtiſſimi, eâ re tamen ſunt multis brutis animantibus longe inferiores. Utere igitur illâ tuâ divinæ particulâ auræ (ut tu eleganter ſcribis) ad ſalutem, et non ad perniciem, hominum; nec eſt quod metuas, ne otio marceſcas, modo animum intendere velis; nam in tam amplo regno nunquam deerit tibi occaſio ita exercendi ingenium, ut ex tua induſtria multi fructum et utilitatem

percipiant;

percipiant; et persuade tibi, laudem et gloriam esse virtutis mercedem, quæ nunquam ipsi non persolvitur. Si uxorem duxeris, si liberos tui similes genueris, tu utiliorem operam patriæ navabis quam si mille Hispanos aut Gallos jugulares. Cum in convivio coram Cambyse quæreretur, uter esset præstantior princeps, ipsene an ipsius pater Cyrus, et omnes, ejus sævitiam metuentes, eum patri longe præferrent; cum ordo dicendi ad Crœsum pervenisset, O Rex, dixit, tibi patrem ideo præferendum esse judico, quia te præstantissimum principem genuit, tu autem nondum tui similem genuisti. Jam vides, me splendidam et fucatam speciem erroribus non inducere, ut tu scribis, nec ignavum otium tibi suadere, si credas poetæ qui consulit ei, qui sibi vult plurimum negotii facessere, ut uxorem ducat. Ego in literis quas Dn. Belo ad te dedi, de conjugio tecum in genere sum jocatus, et cepi occasionem ex sermonibus Dn. Beli, qui interdum hic nobiscum in laudes conjugii excurrere solebat. Meministi quonam sis profectus, cum postremo à te discessi. Venisti tunc in suspicionem apud eos quorum nomine tecum ad ostia Mœni egeram; erant enim persuasi, te aliquid ambivisse apud eum cujus prudentiam me laudantem sæpe audivisti, ac te pœnitere responsi quod mihi dederas. Multum laboravi antequam eas suspiciones ipsis possem eximere, cum præsertim dicerent, id se habere pro comperto, nec tu per aliquot menses responderes ad ea quæ tibi proposueram. Quod si mihi non fuisset plane perspecta animi tui sinceritas, literæ quas ad me Brugis dedisti, mihi suspicionem aliquam injecissent, cum in iis scriberes, te prospicere non fore tibi facile à tuis impetrare id quod te cupere mihi dixeras; quare petebas, ut tibi viam ad excusationem sternerem. Hæc scribens, accepi literas quas Domino Rogersio ad me dedisti. Si eas unâ ho-

rà

râ citius accepissem, tuam negligentiam minus graviter accusassem; sed non libuit mutare quæ jam scripseram, cum præsertim vera scripsisse judicarem. Quid autem hoc sibi vult, quod in tuis literis scribis: "Vos "non satis constanter visi estis vestras res hic agere." Erras, si credis me istorum consiliorum fuisse participem. Meministi longe aliud fuisse id quod petii à te ut ageres, nec potuisse Orangio Principi aut cuiquam alteri nobiscum sentienti improbari. Scio tanto numero militum non fuisse opus Belgis, quibus metuo, ne id accidat quod solet iis qui in febre æstuantes hauriunt frigidam; sentiunt enim recreationem aliquam, sed admodum brevem, et postea longe gravius æstuant quam si à potu frigidæ abstinuissent. Ubi in Belgium venerit externus miles tanto numero, gratum quidem erit populo ab eo reprimi Hispanorum excursiones; sed ubi sentiet suos agros non minus avare diripi ab iis quos suâ, vel forte vestrâ, pecuniâ conductos esse sciet, quam ab Hispanis, et se crebris exactionibus exhauriri ad persolvenda ejusmodi hominibus stipendia, tum demum judicabit medicinam ipso morbo esse graviorem. Ego sum in ea sententia, ut non sperem quicquam feliciter in eo bello administratum iri, si ab Orangii sententia et consiliis discedatur. Sed vide, ne quisquam præter te hæc me scribere rescissat. Hæc raptim scripsi. Bene vale.

Francofurti, 2. die Maii 1578.

LXVIII.

QUoniam videbam me de tua in scribendo negligentia tam sæpe frustra conquestum esse, decreveram nec mihi nec tibi ejusmodi querelis amplius facessere negotium, nisi ad alios scripsisses, te venturum

in

in castra Ordinum Belgicorum, cumque Illustrissimo Principe Joanne Casimiro per hanc æstatem ipsis militaturum, cum tamen de ea re nihil mihi prorsus significaveris. Agnosco meam tenuitatem, nec ignoro meam amicitiam nullius usûs tibi esse posse; sed quia scio neminem vivere qui te tanti faciat quanti ego, aut qui te vehementius amet, et tibi omnia ex animi sententia succedere magis cupiat, putabam isti meo erga te amori deberi, si quid gloriosum tentares quod cum periculo esset conjunctum, ut de instituto tuo me certiorem faceres, quo pro tua incolumitate vota Deo nuncupare, et tibi bene precari possem. Forte ad hæc respondisses, quoniam scires me de tua salute esse valde solicitum, te illud tuum institutum mihi indicare noluisse, eo quod esset cum periculo conjunctum, ne pericula inter quæ tibi versandum erat me metu et anxietate torquerent. Esto sane, sint vera hæc quæ ego ipse mihi somnia fingo; at quî factum est, ut novâ eâque amplissimâ dignitate auctus, nolueris me afficere lætitiâ quam sciebas me ex ea re percepturum? nam nullam aliam ob causam hanc ærumnosam senectam à Deo mihi produci cupio, quam ut te maxime ornatum videam, tuamque virtutem tam illustri loco positam, ut tibi necessario sit contendendum ad ea quæ nominis immortalitatem hominibus pariunt. Jam igitur tibi insistendum est illi viæ, cum nullus tibi pateat receptus, qui non sit cum dedecore conjunctus. Metuebam antea, ne fervor ætatis tibi præcipitia consilia suggereret, fataque te patriæ ac tuis inglorium adhuc eriperent; nam de longinquis navigationibus et militia Belgica quædam audiebam quæ animum meum solicitabant. Jam vero cum non sis amplius tui juris, sed nova dignitas te reipublicæ ita obstrinxerit, ut ejus utilitati potius quam tuis affectibus sit tibi posthac inserviendum, sum utcunque liberatus eâ

solicitudine

ſolicitudine quæ animum meum urebat; non quod judicem te minus obnoxium periculis quam antea fueris; ſed quia pro patria erunt tibi ſubeunda, ea ſine laude et gloria ſubire non poteris. Gratulor itaque tibi dignitatem quâ te ornavit ſapientiſſima Regina, ut te ad virtutem magis incitaret; et oro Deum Omnipotentem, ut tibi perpetuo adſit, et tuas actiones ita gubernet, ut patriæ, tibi, ac tuis, ſis merito charus et utilis, et Sereniſſima Regina gaudeat ſe tale de te judicium feciſſe. Quoniam ex Belgio ad vos perpetuo aliqui commeant, qui vobis referunt quid ibi rerum geratur, de iis nihil ſcribam quæ ex aliis cognoſcere potes. Illuſtriſſimus Princeps Joannes Caſimirus hac fecit iter die 29. ſuperioris menſis. Ignotus ingreſſus eſt urbem cum Beutterichio, qui eum adduxit in ædes in quas ego diverteram, ubi aliquandiu quievit; navigaverat nempe per noctem, et ſub auroram huc venerat. Hinc trajecit Tuitium, quod eſt è regione hujus urbis; quo appulerant copiæ Gallicæ, ejus juſſu à Bonnecortio conſcriptæ, ſecundo Rheno eo devectæ. Solvit inde paulo ante mediam noctem. Poſtridie ſubſecutus eſt eum Lautius, alter tribunorum, qui copias Gallicas ad fines Germaniæ ei conſcripſerunt. Aſſecutus eſt autem principem Caſimirum Weſaliæ, ubi aliquandiu ſubſtitit. Inde navigavit Zutphaniam, ubi ejus copias jam recenſeri audimus. Convenerunt in Atrebatibus reliqui Galli, qui ſunt ei militaturi, quorum Dux eſt ———, vir prudens et fidei probatiſſimæ, cum quo mihi à multis annis interceſſit notitia. Habiturus eſt Princeps Caſimirus quinque millia equitum, et tria millia peditum Germanorum, tria aut quatuor millia peditum Gallorum, et ad octingentos equites levioris armaturæ. Conſtituerat initio conſcribere militem Helveticum, ſed poſtea mutavit ſententiam. Quas præterea copias habeant Ordines Bel-

gici tibi non eſt ignotum. Etiamſi Joannes Auſtriacus ſit numero militum inferior, nollem tamen noſtros temere cum eo congredi, cum habeat militem magis exercitatum quam ipſi, et duces rei militaris peritiores. Non facile quidem pugnabunt Hiſpani, niſi commoda pugnandi occaſio ſeſe illis obtulerit; ſed tamen ſi alter exercitus in alterius conſpectum venerit, temeritas militum facile præbebit occaſionem pugnæ, etiam contra voluntatem ducum, qui plerumque in bellis civilibus non ſatis habent authoritatis ad coercendum militem. Diſſenſio in religione res ordinum reddit minus firmas; nam non deſunt qui ſuggerant Pontificiis, ipſis plurimum periculi imminere à noſtris, quos dicunt, ubi vires collegerint, depoſituros larvam illam moderationis animi quam jam præ ſe ferunt, et eodem modo cum ipſis acturos quo cum aliis in Hollandia et Zelandia eſt actum. Hanc ſuſpicionem ipſis augent ea quæ non ſatis moderate recens facta ſunt à Gandavenſibus, et à quibuſdam aliis. Factio Archiducis Matthiæ ejuſmodi ſuſpiciones animis hominum inſtillare putatur. Niſi ea res ordinum conſenſum diſſolverit, puto Hiſpanos ipſorum libertatem fruſtra oppugnaturos. Si Princeps Arauſius huic periculo ſuâ providentiâ occurrere poterit, erit haud dubie magnum ejus nomen ad poſteritatem. Imperator ante duos menſes fecit decretum, quo ſevere interdicebat, ne Viennæ, et ad tria milliaria ab urbe, haberetur exercitium ullius religionis præterquam Pontificiæ; decretum autem illud miſit ad Rokandorfum, in cujus ædibus habebantur conciones, cum Viennæ viveremus, et ad alios proceres Lutheranos, qui tunc erant in urbe. Ii reſponderunt, ſe quidem paratos eſſe ad omnia obſequia præſtanda Imperatori; ſed quia decretum ad ſe ſolos non pertineret, ſe non poſſe illud recipere, inconſultis aliis qui eandem religionem ſe-

cum profiterentur. Itaque edictum Imperatori remiserunt, qui eâ re graviter offensus, illud postridie iterum ad ipsos misit, et severius quam antea mandavit, ut illud reciperent; quod tamen ab ipsis impetrare non potuit, nec ob ejusmodi edictum intermiserunt in urbe conciones, ad quas post dissipatam de edicto famam, factus est major populi concursus quam antea fieri solet. Toto Maio mense, et initio Junii, fuerunt graves disceptationes inter Imperatorem, qui urgebat ut admitteretur edictum, et proceres, qui non poterant persuaderi ut illud admitterent; dicebant enim se eam libertatem in religione quâ fruerentur ab Imperatore Maximiliano vicies centenis millibus aureorum redemisse, quam pecuniam dicebant æquum esse sibi restitui, si concessa libertas adimeretur, videbaturque ea disceptatio rejicienda in proximum conventum ordinum Austriæ; verum Imperator, præter omnium expectationem, 21. die superioris mensis, mandavit Opicio, et aliis concionatoribus Viennensium, ut ante occasum solis urbe excederent, et intra quatuordecim dies totâ suâ ditione. Hæc sane videntur intempestive moveri ab Imperatore, et forte ejus quietem turbabunt, fratrisque Matthiæ authoritatem apud Belgas minuent. Bene vale.

Coloniæ, ubi spero me æstatem mansurum, 16. die Julii 1578.

LXIX.

BEutterichius noster superiore mense ad me scripsit, te ejus classis, quam instruxerat Serenissima vestra Regina, ab ipsa factum esse Vice-Amiralium; quod unde habuerit ego plane ignoro. Cogitabam quidem, me recte facturum, si diligentius inquirerem quomodo

do se ea res haberet, antequam eam dignitatem tibi gratularer; sed immoderatum gaudium, quod ex ea re sentiebam, consilium illud mihi excussit. Si quid à me in hac parte peccatum est, id amore erga te factum esse credo te non dubitare: cujusmodi peccata ab amicis facile condonari solent. Illud autem quod à me commissum est, eo magis veniâ dignum videtur, quia inductus sum in errorem ab homine tui amantissimo, et cui me fidem habuisse, nemini mirum videri debet, ob arctam amicitiam quæ mihi cum eo intercedit. Scribo ad te sæpius, sed nescio an tibi reddantur meæ literæ, quia non rescribis. Faceres mihi rem gratam, si ex ministris tuis aliquem juberes ad me scribere quænam tibi reddantur, ne immerito suspectam habeam fidem eorum quibus eas ad te perferendas trado. In Belgio jam res sunt eo deductæ stultâ Hispanorum arrogantiâ, ut nulla prudentia humana iis moderandis par esse possit. Populus instar effrænis equi jam suâ libertate utitur prout libet, et paulo post abutetur. Necesse fuit Auraico Principi torrentem illum commotæ plebis objicere sceleratis consiliis, quæ aula Romana suggerit principibus qui ei auscultant; nam adversus ea se et suos aliâ ratione tueri non potuit, cum ab omnibus esset desertus. Nemini autem mirum videri debet, quod vir magnanimus in gratiam adversariorum perire noluerit, et nihil intentatum reliquerit, quo se adversus vim et injuriam defenderet. Audio esse in Gallia aliquos qui Belgarum exemplum imitari, et se in libertatem vindicare, velint; adversus quos Rex parat bellum. Quanto rectius faceret, si daret operam, ut moderatione imperii à se abalienatos eorum animos reconciliaret? Sed nos urgemur Fatis, nobisque Deus mentem adimit, quo constet omnibus, nos impendens nobis exitium nostrâ culpâ nobis attraxisse. Imperator discessit Viennâ 26. die Junii,

pulsis inde ante discessum Lutheranis concionatoribus. Viennâ profectus est Lintzium, ubi idem tentavit; sed ita adversata est ipsi nobilitas, ut id perficere non potuerit. Iverunt ad ipsum Lintzium Ferdinandus Archidux, ejus patruus, et Gulielmus, Ducis Bavariæ filius. Aiunt inter ipsum Imperatorem et Archiducem Ferdinandum transactum esse de statu filii ipsius Ferdinandi, qui est ornatus dignitate Marchionis, et cooptatus in numerum Principum Imperii, quod pater à fratre Imperatore Maximiliano nunquam impetrare potuit; noluit enim Maximilianus majorem dignitatem quam Comitis Imperii ei tribuere. Profectus est Imperator Lintzio Pragam, quo ad eum venturi dicuntur Elector Saxoniæ et Dux Bavariæ. Natus est recens Carolo Archiduci filius masculus; quæ res eum ingenti lætitiâ affecit; hactenus enim femellas tantum pepererat ei uxor. Jam proficiscar Francofurtum, huc tamen reversurus intra finem Septembris. Bene vale.

Coloniæ, 17. die mensis Augusti 1578.

LXX.

Vixi superioribus mensibus Coloniæ, unde aliquoties ad te scripsi; sed nescio an literas meas acceperis. Inde mihi fuit huc excurrendum ob quædam privata mea negotia; quæ ubi confecero, eo revertar. Cum ubique sim exul, mihi longe jucundius est in ampla et populosa urbe vivere quam in hac solitudine Francofurtensi. Gaudeo, quod videam in Belgio eum rerum successum quem dudum optavi, ac etiam speravi; nam, sublatâ idololatriâ, difficile erit Hispanis, tyrannidem quam animo conceperant, stabilire; nec dubito quin homines sanctioris religionis, nexu inter se devincti, suam libertatem sint constanter defensuri,

ne

ne ſimul cum libertate facultas Deum pure invocandi ipſis eripiatur. Quis res eo deventuras ſperaſſet quo eas jam deveniſſe videmus, cum Albanus per eas provincias gravi ſervitute oppreſſas, victricia arma ita circumferret, ut vicinis gentibus eſſet formidabilis? Fateamur neceſſe eſt, tantam rerum converſionem non à ſapientia, aut viribus humanis, ſed à divina providentia, proveniſſe, quæ ſuperbæ gentis inſolentiæ et crudelitati modum imponere voluit. Vos quidem gentem vobis vicinam, et vetere conſuetudine conjunctam, commiſeratione dignam judicaſtis, eique multa humanitatis officia exhibuiſtis; ſed tamen non fuerunt ejuſmodi, ut ab indigna illa ſervitute quâ oppreſſa erat eam liberare potuerint. Quæ non eo dico ut veſtræ laudi et gloriæ aliquid detraham, quæ ſane non exigua ad vos ex ea re perpetuo perveniet; ſed ut oſtendam, ita præter noſtram expectationem à divina providentia præcipue eſſe profecta. Germania, ſuo more, eſt otioſa ſpectatrix tragœdiarum quæ apud vicinas ipſi gentes aguntur, et ex alienis incommodis ſua commoda capit. Imperator jam eſt à Rege Hiſpaniæ conſtitutus in Belgio pacis et belli arbiter; qui utinam arbitrium ferat, quo utrique parti conſulatur. Audio quod hanc rem per vicinos Epiſcopos agere conſtituerit, quod neſcio an ſit conſultum. Vereor ne iſta non ſerio agantur ab Hiſpanis, et ne ex ſuo præſcripto omnia ab arbitris fieri velint. Satius eſſet ipſos mature occurrere periculis quæ ipſis ab Afris imminent, quàm tanto ſtudio in Belgarum perniciem incumbere; nam Afrorum ferocia augebitur eo ſucceſſu, quem jam adverſus Luſitanos habuerunt, quibus magnam cladem intuliſſe dicuntur; nec putent Hiſpani contemnendum eſſe hoſtem tam vicinum, fœdere et patrocinio Turcico nitentem. Ego profecto metuo, ne intra paucos annos videamus Turcas et

Mauros

Mauros exercentes piraticam in mari Atlantico et Cantabrico, et depopulantes littora Hispaniæ et Galliæ, et forte etiam Hiberniæ, et illius partis Angliæ quæ solem occidentem respicit. Carolus Archidux, dum vult videri fortior fratre Maximiliano, qui sæpe injurias à Turcis acceptas dissimulabat, excitavit bellum in Croatia, quod non facile restinguere poterit. Dicitur habere in armis supra quindecim millia hominum, jamque aliquot arces non magni momenti Turcis eripuisse. Bassa Bosniæ colligit copias magno studio, jamque habet exercitum viginti millium hominum, et nihilominus plures milites ex vicinis provinciis ad eum confluunt. Aiunt duos Sangiacos cum validis copiis ex Hungaria ad eum contendere. Ubi eæ copiæ convenerint, cogetur Archidux se recipere irritato, et in suam perniciem accenso, hoste, cui nequaquam est par viribus. Scripsi antea, pulsos esse Viennâ ab Imperatore concionatores Protestantes. Paulo post idem tentavit Lintzii; sed id perficere non potuit. Mittit, ut audio, jam eo decretum Viennensi simile, quod multi putant proceres et nobilitatem Superioris Austriæ, qui Lintzii suos conventus habere solent, non recepturos. Non persuadebit eâ ratione Imperator Belgis, ut suam salutem ipsius fidei committant. Mitto ad te Commentarios Joannes Tilii, maxime dignos qui legantur; nunquam enim est de rebus Gallicis quicquam melius editum. Bene vale.

Francofurti, 20. die Septemb. 1578.

LXXI.

LXXI.

ACcepi literas quas ad me superiore mense dedisti, quæ mihi multis nominibus fuerunt gratissimæ; sed eo præcipue, quod ex iis intellexerim, eundem tuum erga me esse animum qui prius fuit; nam ut nihil apud te dissimulem, mirabar te totis sex aut septem mensibus nihil ad me literarum dedisse, nec de navali expeditione, ad quam fuisti accinctus, quicquam mihi significasse, nec de instituto postea itinere in Belgium, licet de iis rebus ad alios dedisses literas. Non tamen propterea intermisi quin ad te scriberem, quandocunque se scribendi obtulit occasio; verum scripsi minus confidenter quam essem solitus, nec audebam amplius tuam in scribendo negligentiam accusare; nam quia in literas quas ad te scribo temere conjicio quicquid mihi in mentem venit, metuebam ne quid à me imprudenter aut intempestive scriptum esset, quod isti tam diuturno tuo silentio causam præbuisset. Si in Belgium navigasses, (quod te facturum Beutterichius aliquoties ad me scripsit), statim ad te accurrissem. Quamvis autem jucundissimum mihi fuisset tuo conspectu frui, me tamen non valde exhilarasset adventus tuus ad eos homines cum quibus insuave tibi fuisset vivere; nec ex ulla re voluptatem capere potuisses, præterquam ex Illustrissimi Principis Joannis Casimiri consuetudine, qui proculdubio omnem tibi humanitatem exhibuisset. Verum injucundum tibi fuisset versari in castris, in quibus nec virtutis exempla, nec disciplinæ militaris vestigia ulla, conspexisses; sed tantum milites sui ducis imperium detrectantes, si quid imperaret, ex quo laudem sibi parare possent, et suæ contumaciæ, forte etiam ignaviæ, perpetuo prætexentes

non

non ſoluta ſuo tempore ſtipendia. Sunt et aliæ cauſæ, præter eas quas in literis tuis recenſes, quæ te ab ea expeditione merito deterrere debuerunt. Dicit Cæſar apud Lucanum, "Summum, Brute, nefas, civilia duci-"mus arma;" et Cicero ait, "Nullum bellum juſtum "eſſe niſi ſit neceſſarium." Etiamſi Belgæ juſtam cauſam habeant tuendi armis ſuam libertatem adverſus Hiſpanorum tyrannidem, hoc tamen ad te nihil pertinet. Si Sereniſſima veſtra Regina debuiſſet ipſis ex fœdere militem, teque cum eo milite ad iſtud bellum proficiſci juſſiſſet, neceſſitas parendi ei quæ habet in te imperium, reddidiſſet tibi legitimos hoſtes eos qui ordines Belgicos oppugnant. Tu vero laudis et gloriæ cupiditate ductus, et ut virtutis tuæ ſpecimen aliquod edendi occaſionem haberes, eos tibi hoſtes deſignabas qui in iſto bello cauſam injuſtiorem fovere tibi videbantur. Non eſt tuum, nec cujuſquam privati, ferre de ejuſmodi re judicium, ſed ſolius magiſtratûs; "magiſtratum" autem voco principem, qui cum aliquid tale eſt ipſi decernendum, id facit adhibitis in conſilium iis, quos eſſe amantes æqui, et prudentiâ valere, exiſtimat. Tu et tui ſimiles, hoc eſt, ii qui illuſtribus familiis ſunt nati, exiſtimatis, nullâ re majorem gloriam parari quam multâ hominum cæde; in qua re plerumque eſtis injuſtiſſimi; ſi enim hominem interficitis adverſus quem jus belli non habetis, vos innocentem interficitis. Veteres, qui veri Dei notitiam non habuerunt, fuerunt tamen in ea re valde religioſi. Cato Senior ſcripſit ad filium profectum in Hiſpaniam, ne in hoſtem pugnaret antequam jusjurandum Imperatori exercitus præſtitiſſet; id enim ipſum juſte facere non poſſe. Legitur de quodam Lacedæmonio, qui cum in pugna jam ita vibraſſet gladium, ut poſſet hoſtem interficere, auditâ tubâ qua canebatur receptui, retraxit manum, judicans ſibi amplius

plius non licere hoſtem interficere. Sed noſtra ætas, ab omni honeſta diſciplina aliena, iſta ridet; imo jam abiit in deſuetudinem jus fecialium, quod gens Gallica et Anglica præ aliis olim religioſe obſervarunt. Multi putant ideo laudari viros qui in re militari excelluerunt, quia magnas hominum ſtrages ſæpius ediderint, et integras interdum gentes exciderint: quâ re quid eſt magis belluinum, et magis alienum ab ipſa natura, quæ nos in lucem protulit, ut nos mutuis officiis juvemus, et alter alterius ſalutem procuret? Laudati ſunt initio bellatores, qui patriam adverſus hoſtes eam invadentes fortiter defenderunt; non autem ideo ſunt laudati, quod multos hoſtes trucidaſſent, ſed quod cives ſuos defendiſſent adverſus eos qui perniciem ipſis adferre conabantur. Illa ſunt bella in quibus vera gloria paratur; ſed jam noſtris moribus receptum eſt, ut ii maxime laudentur quorum inſana ambitio plurimis fuit exitio. Quis unquam ſcriptor Italus fecit mentionem Julii Cæſaris, quin immodicis laudibus eum eveheret? cum tamen nihil magis deteſtandum, nec ſibi magis exitioſum, Roma unquam protulerit. Græci ſcriptores conantur nobis perſuadere, in ſuo Alexandro aliquid ſupra humanam conditionem fuiſſe, cum nihil aliud fuerit quam inſanus et furioſus gladiator, in generis humani perniciem natus. Sed quid eſt opus talium portentorum exempla perſequi, cum ubique ſint obvia apud ſcriptores, et noſtra ætas plurima protulerit? et tamen iſtos imitari et illis moribus inclareſcere cupiunt ii quos natalium ſplendor ad humanitatem et juſtitiam colendam maxime excitare deberet, ut eleganter et prudenter eos monuit noſtræ ætatis poeta, virum principem compellans his verſibus:

"Nec tam fortis ames dici quam juſtus, et armis
"Parta per humanas fugias cognomina cædes."

Eſt mihi maxime ingratum, quod (ut ſcribis) capiat te tædium ejus vitæ, ad quam non dubito quin à Deo ſis vocatus, et cupias fugere aulæ veſtræ lucem, et te in loca ab hominum frequentia remota recipere, ut fugias illas negotiorum procellas, quibus plerumque ita jactantur ii qui in republica verſantur, ut ſæpenumero obliviſcantur ſe eâ conditione natos eſſe, ut ſibi ſit moriendum, nec quicquam minus cogitant, quam quid de ipſis poſt hanc vitam ſit futurum. Fateor ſane in ſplendidis aulis eſſe tot vitiorum illecebras, ut ſe purum ab iis conſervare, et in loco tam lubrico veſtigia figere, ſit valde difficile; ſed eſt nitendum virtute et animi magnitudine adverſus eas difficultates, in quibus ſuperandis, quo plus erit laboris, eo major erit gloria quæ ex ea victoria reportabitur. Natura te maximis animi et corporis dotibus ornavit; fortuna vero nobilitate et opibus, ac ſplendidis neceſſitudinibus; tu autem à prima pueritia animum magno ſtudio excoluiſti iis artibus quæ contendentibus ad virtutem magno adjumento eſſe ſolent. Tune igitur, tot adminiculis inſtructus adverſus fortunæ et invidiæ tela, tuam induſtriam denegabis patriæ eam expoſcenti? et eximium illud talentum à Deo tibi concreditum defodies? In republica, ſicut in corpore humano, oportet quodlibet membrum ſuo munere fungi; quod ſi non fiat, illa membrorum harmonia turbatur, et corpus ex ea re incommodum ſentit, quod eo majus ſentit quo nobilius eſt membrum illud quod officium ſuum facere deſiit. Homines tenuioris fortunæ præſtant operas reipublicæ quando id requirit neceſſitas. Qui ſunt re magis lautâ, conferunt pecuniam ad ejus uſus: nobilitas vero adhibetur ad dignitates et magiſtratus, et præcipuæ

ſunt

ſunt ejus partes in propellendis hoſtibus qui aliquid in reipublicæ perniciem moliuntur, turpeque eſt ipſis periculi metu non facere ea quæ ſunt ſui officii. Id autem præmium laborum et periculorum quæ ſuſtinet, conſequitur, ut à reliquis ordinibus colatur, et in honore habeatur, et ſit immunis à multis oneribus quibus alii ordines ſunt obnoxii. Quod ſi refugiat labores et pericula quæ pro republica ſubire tenetur, et nihilominus velit frui iis immunitatibus quæ ſunt iſtorum laborum et periculorum præmia, inique certe facere videbitur. Depone igitur iſtam animi remiſſionem, et patriæ tuam operam et induſtriam requirenti ne denega; nec, ut ait poeta, "Invidiam placare pa-"res virtute relictâ," ſed eam fortiter deſpice, et fac quæ reipublicæ ſalutaria eſſe judicabis. Sententiam meam de rebus Belgicis antea ad te ſcripſi, fore ſcilicet difficile Hiſpanis gentis illius libertatem opprimere, quamdiu ad clavum ſedebit is, de quo ante aliquot annos vaticinium meum audiviſti, cujus ſane prudentiam in dies magis admiror; nam video eos qui ſe amicos ipſi profitentur, plus negotii ipſi faceſcere quam hoſtes, et tamen ipſum perpetuo ſibi conſtare, nec ullis tempeſtatibus de ſtatu mentis dejici, nec variis injuriis laceſſitum quicquam immoderate facere. Gandavenſes, dum ſummum jus in rebus omnibus perſequuntur, multa incommode faciunt; et metuo ne ſint in cauſa, ut diſſolvatur ille conſenſus ordinum, quo hactenus conſtitit ſalus illarum provinciarum, et ne adigant Pontificios ad capienda præcipitia conſilia quæ patriæ ſint exitioſa; nam ſi nimis urgeantur, cujuſvis jugum ſubibunt, modo ſperent ſe ejus patrocinio fore tutos à noſtrorum injuriis; habent autem Alençonium ad manum, quem ſibi patronum deligant, et qui id maxime cupit, ac etiam ambit. Audio Illuſtriſſimum Principem Joannem Caſimirum profectum eſſe Gandavum;

vellem eum non conferre seorsim consilia cum istis hominibus qui cæco quodam impetu feruntur, nec unquam animi moderationem in consilium adhibent. Joannis Austriaci mors res Hispanorum proculdubio affliget. Non facile poterit Rex Hispaniæ alium ei sufficere, qui militem ita obsequentem habeat, ut ipse habuit. Memoria parentis, morum suavitas, et res in ipsa prima adolescentia feliciter gestæ, magnam ei benevolentiam et authoritatem apud milites conciliaverant. Miles ejus per hanc æstatem multa incommoda pertulit, nec tamen unquam ejus imperium detrectavit. Etiamsi optaverim, ut nihil eorum quæ in Belgio moliebatur ipsi succederet, tamen imperio naturæ dolui auditâ ejus morte, perpendens mecum eum res gessisse utiles orbi Christiano, et in ipso ætatis flore raptum esse, nec esse authorem earum calamitatum cum quibus Belgicæ provinciæ conflictantur; et si quid fecit incommode, id eum fecisse alieno imperio obsequentem. Varia de causa mortis ejus dicuntur. Qui humanius loquuntur, quorum sententiæ accedere malo, dicunt ipsum post nimiam hæmorrhoidum fluxionem correptum fuisse febriculâ, à qua medici initio judicabant nihil ipsi imminere periculi, sed cum vires corporis nimiâ sanguinis fluxione essent languefactæ, et ad morbum accessisset ingens animi dolor, illo ipso dolore eum contabuisse. Dolorem autem inde conceperat, quod videret res suas in dies fieri deteriores, et se destitui rebus necessariis ad ducendum bellum, nec sibi præstari ex Hispania ea quæ inde discedenti fuerant promissa. Quidam dicunt ipsum, post fusas ad Namurcum Ordinum copias, de sua victoria adeo gloriose scripsisse ad Regem, ut Rex debellatum esse putaret cum Belgis, et propterea fuit negligentior in suppeditandis iis quæ ad bellum erant necessaria. Eum qui ad te misit meas literas, et scripsit se esse

mihi

mihi amicum, nec tamen nomen ejus legere potuisti, puto esse Georgium Gilpin, societatis Anglicæ, quæ Antuerpiæ negotiatur, secretarium, virum bonum, cum quo proximâ æstate amicitiam contraxi.* Commode poteris ad eum literas tuas mittere, quando voles ad me scribere. Intercedit ei amicitia cum D. Rogersio. Bene vale.

Coloniæ, 22. die Octobris 1578.

LXXII.

SUB initium superioris mensis incidi in febrim adeo molestam ob pituitæ abundantiam, ut nec scribere nec legere mihi licuerit; nam quandocunque demittebam caput, pituita in oculos incumbens eorum aciem retundebat. Ante tres aut quatuor dies usus sum pharmaco, quod mihi facit spem aliquam recuperandæ valetudinis; quamvis metuam ne ingens desiderium tui videndi me fallat, et sit in causa ut eas spes ipse fingam. Tentabo tamen quid præstare possim, etiamsi cum vitæ meæ periculo fieri debeat. Quoniam binas literas intra paucos dies ad me dedisti, metuo ne ea res te insolentiorem reddat. Scripseras in prioribus, te, longâ possessione et longo usu, id esse consecutum, ut tibi liceat esse pigrum, eosque inique tecum agere qui tibi id vitio dare conentur. Forte doctrinam illam hausisti in schola Davi illius Horatiani, qui in Saturnalibus conatur persuadere suo hero, eos esse minus infelices qui sunt in vitiis constantes, quam qui inconstantes, verum tu jam tuâ in scribendo diligentiâ fere fidem tuæ assertioni derogasti. Sed spero te posthac daturum operam, ne quis dicat tua facta à tuis dictis dissentire. An non dices, ubi hæc leges, me maxime dignum esse iis malis cum quibus confli-

ctor,

ctor, cum inter ea etiam jocari coner? Sed, extra jocum, non satis fuit tibi tot modis testari tuam erga me benevolentiam, nisi etiam illustrissimum tuum parentem impelleres ad mihi prolixe deferendum suam benevolentiam, et sua officia. Sane non decuit virum tantæ dignitatis ita mecum agere; sed quicquid in ea re peccatum est, id tibi totum est ascribendum. Peto autem à te, ut summas gratias ipsi agas meo nomine, quod tanto honore me afficere dignatus sit. Aut ipse brevi coram gratias agam, aut literis meam erga ipsius Illustrissimam Dominationem observantiam testabor. Jam à me vix impetrare potui, ut has ineptias ad te scriberem, nec possim plura scribere, jam cœcutientibus oculis. De rebus publicis alias. Tuus Stephanus fuit nobis omnibus gratus. Bene vale, et amicos saluta.

Gandavi, 13. die Januarii 1579.

LXXIII.

NEscio quo infelice meo fato factum est, ut in discessu non licuerit tibi et Dn. Diero valedicere; quamvis sane vobis à me nihil expectandum fuisset, præter singultus et lachrymas. Doleo tamen, me eas lachrymas, et eos singultus, meæ verecundiæ et mei summi erga vos amoris testes, vobis exhibere non potuisse, licet id meâ culpâ non acciderit; nam cum nostri festinarent, perinde ac si cum hostibus et non cum amicis esset ipsius negotium, ego gravem invidiam subiissem, si solus sapere maluissem quam cum aliis insanire; nec tamen ita properare potui quin abducti essent equi omnes, quibus vehi debuimus, antequam fluvium qui Sandvicium alluit trajicerem; et nisi Halesius Eques, mei misertus, mihi utendum ministri sui equum

equum dediſſet, mihi fuiſſet in oppidum redeundum. Poſtquam venimus ad promontorium Cantium, etiamſi venti nobis minus ſecundi ſpirarent, non deſtiti tamen noſtros hortari, ut navem conſcenderemus, donec id perficerem, ne illuſtriſſimi tui parentis humanitate diutius abuteremur. Navigatione non admodum felice ſumus uſi, ut audies ex generoſo Dn. Grevillio, quem tuæ virtutis admiratorem, et tui amantiſſimum eſſe in hoc itinere deprehendi. Frater tuus rectiſſime valuit, cujus ego indolem eximiam eſſe judico; ſed adhuc ſum in ea ſententia, ut vos educationis ejus eam curam quam decuit non habuiſſe exiſtimem. Quoniam tantum jam ei libertatis conceſſum eſt, ut non ſit futurum cuilibet facile eum ſibi obſequentem reddere, ſi in ora Rhenana fuerit Wackerus, conabor ipſi perſuadere, ut ejus curam ſuſcipiat. Quod ſi id ab ipſo impetrare non potero, vel forte procul abfuerit, adhibitis in conſilium Lobbetio et Sturmio, eum deligam, qui ad ipſum inſtituendum maxime idoneus videbitur. Dabo autem operam, ne in eo amando à vobis ſuperer, et ne minore ſtudio quam vos id egiſſe videar, ut fœcundus ager ita excolatur, ut uberrimum fructum tandem proferat, quo ad vos reverſus voluptatem adferre et patriæ utilis eſſe poſſit. Saluta, obſecro, meo nomine, illuſtriſſimum tuum parentem, cui neſcio quâ ratione pro tantis erga me beneficiis gratias agere poſſim. Saluta etiam generoſum Dn. Dierum, cujus amicitia mihi eſt inſtar gemmæ præcioſiſſimæ quæ jam ad meos theſauros acceſſit. Scribam ad utrumque Antuerpiâ; jam autem non vacat, nec audeo tam libere cum ipſis quam tecum ineptire. Spero nos diſceſſuros Antuerpiâ 16. die Martii, quare ſi voles eo ad nos ſcribere, id erit mature faciendum. Tibi omnino ſcribendum erit per eos qui Francofurtum venient, quos puto intra dies quindecim

Londino

Londino discessuros. Mittenda erit per eos syngrapha principis, ut pecunia quam ipsi mutuo dedistis vobis persolvatur. Scribendum etiam erit ad Doct. Lobbetium. Res Belgicæ sunt perturbatissimæ. Hispani excurrunt ad ipsam fere urbem Antuerpiensem. Lanoveus est in oppido Erenthals, quod non est munitum, tamen opportet eum primum impetum hostium sustinere, qui vicina loca obtinent. Clades quam nostri acceperunt interea dum in Anglia fuimus, fuit major famâ quæ ad nos tunc pervenit; fuerunt enim fusæ ab Hispanis tres aut quatuor nostrorum equitum cohortes, et perierunt in conflictu Comes à Slik, adolescens 19. annorum, duo Barones Putlizii, et supra quadraginta ex nobilitate. Non possum persuadere nostris ut eant Antuerpiam, quamvis Auraicus et fere omnes id maxime expetant. Constituerunt vocare suos præfectos equitum Bergas, quod oppidum abest ab Antuerpia quinque miliaribus. Plura et certiora de iis rebus scribam Antuerpiâ. Hæc scribo multâ nocte, post convivium satis lautum, ad quod famelici et siticulosi accessimus; quare boni consules ea quæ parum sobrie scripta tibi videbuntur. Bene vale.

Flessingiæ, 27. die Febr. 1579.

LXXIV.

SI Rex Hispaniæ venisset in Zelandiam, florentibus rebus Belgarum, vix majore honore exceptus fuisset, quam jam fuit Illustrissimus Dux Joannes Casimirus, quem quodlibet Insulæ oppidum ad se invitavit, et nullum genus humanitatis erga ipsum prætermisit. Ipse vero præfectus Insulæ perpetuo nostro principi adfuit, excepit eum hospitio Midelburgi, et per aliquot dies magnifice tractavit. Hæc omnia facta sunt pro-

 curante

curante et mandante Auraico, ut mihi fassi sunt ii qui nobis ista præstabant; quæ tamen humanitas nostrum erga ipsum animum nequaquam leniit. Misit ad Principem Casimirum nobilem virum, per quem ipsum in hanc urbem invitavit, multasque causas proposuit, ut id ipsi persuaderet. Deliberavit nobiscum princeps noster de ea re. Ego plane suasi ut huc veniret, quamvis scirem me id frustra facturum; nam dixerat mihi communis ille noster amicus quid ipse de ea re decrevisset; sed nescio assentari, et propterea mihi fugiendas esse video principum aulas. Si huc venisset, haud dubie exhibita ipsi fuisset summa humanitas ab Archiduce Matthia, ab Auraico, et ab aliis proceribus; populus autem variis modis testatus fuisset suam erga ipsum benevolentiam. Hæc licet forte per se sint exigua, profuissent tamen ad eluendam illam insignem infamiam quâ in Germania et apud alias gentes sumus aspersi. Vulgo enim judicassent homines, sublatas esse omnes simultates, et nostrum diluisse ea quæ ipsi objiciuntur, et adversariis satisfecisse. Princeps postea seorsim apud me se excusavit, quod non esset secutus meum consilium, et quodammodo visus est mihi fateri se illud non improbasse. Judicabis me stulte facere, qui adversando offendam eos quibus adversor, cum tamen sciam me nullum operæ pretium facturum. Ego non possum dissimulare id quod rectum esse judico; et etiamsi non perficiam id quod cupio, forte tamen efficio, ut ii qui consilia meis contraria sequuntur, dubitent an recte faciant. Princeps noster solvit Midelburgo quartâ die hujus mensis, et inde Dordracum navigavit. Scripsit ad Auraicum, se in Gueldriam contendere, ut suo militi discedenti suadeat reditum in Brabantiam; nam miles Germanicus, qui Statibus militavit, ut nihil prætermitteret quod ad suam et suæ gen-

E e tis

tis infamiam pertineret, ubi audivit Parmensem cum copiis accedere ad Antuerpiam, significavit ei, se dimissum esse à Statibus, et petiit ab eo literas commeatûs, seu salvi conductûs, ut loquimur, quo posset per regiones, quæ ei parent, iter facere; quod facile impetravit, cum id maxime pertineat ad gloriam Parmensis, quem audio curasse Mosam jungi ponte, quo posset facilius trajici. Major fuit amor laudis et gloriæ in Gallis et Anglis, qui licet essent pauci numero, cum tamen audivissent Parmensem cum copiis adventare, huc ex Flandria properarunt, ut essent huic urbi præsidio. Secundâ die hujus mensis hostis eos invasit munientes pagum vicinum urbi in quem se receperant. Sustinuerunt hostis impetum diutius quam par esset, cum nullâ ex parte essent ipsi pares viribus, et Auraicus, spectans pugnam ex muro urbis, crebris nuntiis moneret eos ut ad urbem se reciperent, quod ab ipsis tandem factum est, sed tardius quam fieri debuerit. Angli aliquot, nimiâ ferociâ elati, prodierunt ex loco tutiore in patentem campum, ibique congressi cum hostili equitatu, sunt ab eo concisi. Ex Gallis et Anglis ducenti fere in conflictu ceciderunt, et multi sunt vulnerati. Ex Hispanis credo paucos cecidisse. Hæc tamen paucorum militum alacritas plurimum addidit animi his gentibus, cum præsertim Parmensis post conflictum longius se ab urbe receperit. Accedente hoste ad hæc loca, La Noveus, Mouy, et Norrisius, properarunt Herentalium, cum aliquot cohortibus Gallorum et Anglorum. Maxime metuebatur illi oppido, quod hinc abest quinque milliaribus, et credebatur hostis illud invasurus; quod tamen non fecit, quamvis per ea loca se receperit. Sperant aliqui hunc hostis ad urbem adventum fore in causa ut Belgæ posthac rationem diligentius ineant, quâ suis rebus prospiciant. Sed de hoc conflictu nimis multa, de quo plura

plura ſcies ex humaniſſimo Dn. Suſchio, qui ei interfuit. Literæ tuæ fuerunt gratiſſimæ Principi Auraico. Nondum ab eo petii reſponſum, non tantum enim mihi fuit otii; ſed non dubito quin ſit reſcripturus; nam te magnifacit. Cole, obſecro, amicitiam cum eo, et præſta ei quæ poteris officia; ego enim judico non eſſe præſtantiorem virum in orbe Chriſtiano. Mecum de variis rebus locutus eſt, ac etiam meam ſententiam exquiſivit, cum tamen ſuam prius protuliſſet; quam ſemper ita ſum admiratus, ut nihil haberem quod ad eam adjicerem. Id ei plane accidit quod moderatis viris plerumque accidere ſolet, nempe, ut utrinque vapulent. Populus conqueritur de eo, et dicit ſe ab eo contemni; nobilitas vero dicit eum eſſe infenſiſſimo animo in nobilitatem; quaſi vero, dicebat mihi, ego ſim patre ruſtico natus. Fratrem tuum humaniſſime excepit, et in prandio voluit ſedere inter conjugem et filiam, et ſibi è regione. Feci etiam ut ſalutaret Dominum Lanoveum, qui ei ſua officia prolixe detulit. Heri Gandavi perpetratum eſt facinus, quod metuo ne ſit his provinciis exitioſum. Aiunt concionatorem Pontificium interfectum eſſe concurſu populi in ipſo templo, et reliquos ſacerdotes Pontificios eſſe urbe ejectos, et eorum domos direptas. Metuimus autem ne quid aliud atrocius ſit commiſſum. Vereor ne id ſit in cauſa, ut noſtri cum Pontificiis committantur, ſicut eſt factum in Gallia, et mutetur ſtatus cauſæ, et bellum non pro libertate, ſed pro religione poſtea geratur; quod ſi fiat, Pontificii haud dubie ſe Hiſpanis adjungent. Sunt qui dicant noſtrum reditum ex Anglia præbuiſſe cauſam huic malo, quod utinam non ſit verum. Dicunt deliberari in ſenatu Statuum, de præficiendo copiis, quas conſtituerunt colligere, fratre Regis Galliæ. Credo ad vos dudum perveniſſe famam de Albano, filio ejus Frederico, et Secretario Albani,

ni, traditis custodiæ mandato Regis Hispaniæ, quibus, aiunt, postea adjectos, Ferdinandum, Albani filium naturalem, quem magnum Priorem nominant, et quendam Franciscum de Vacas. Quædam dicuntur de conjugio, quo Rex est offensus, quod longum esset scribere. Alii putant graviorem aliquam causam subesse, ob quam vir tantæ dignitatis et authoritatis, quantæ est Albanus, sit affectus eâ infamiâ. Si quid certius de iis rebus postea habuero, id ego diligenter perscribam. Bene vale, et boni consule hæc raptim scripta, multis me perpetuo interpellantibus.

Antuerpiæ, 11. Mart. 1579.

LXXV.

VIde quantam infamiæ notam sibi et patriæ inusserint nostri equites, hoc est Casimiriani. Obtulerunt Principi Parmensi supplicem libellum, in quo nominant eum Inferioris Germaniæ Gubernatorem, et ut ab eo impetrarent transitum per ea loca quæ subsunt ejus imperio, promiserunt se intra tres menses rebellibus Statibus non militaturos, et ipsius Parmensis clementiam erga se perpetuo prædicaturos. Hoc autem ipsorum factum eo turpius est, quod reliqui equites Germani, non petitâ veniâ à Parmensi, trajecerunt Mosam ad Graviam, quod oppidum est in potestate Statuum, et invitis Hispanis, ipsum etiam Rhenum superaverant. Nostri vero trajecerunt Mosam ad Ruremondam. Quæ Gandavi acciderunt, ita varie narrantur, ut nesciam quid de iis mihi sit scribendum. Ipse Princeps Auraicus fatetur se nihil adhuc certi de iis rebus habere. Aiunt non esse interfectum, sed tamen graviter vulneratum, concionatorem illum Pontificium,

cium, de quo antea ſcripſi. Inde ortum eſſe tumultum illum dicunt, quod Pontificii ſuæ religionis concionatores in urbem induxiſſent, noſtri vero dicerent in tranſactione nuper facta ipſis conceſſum eſſe ſolum jus celebrandi ſua ſacra, et non concionandi. Sunt traditi cuſtodiæ aliquot ex primariis civibus. Quidam hodie affirmabant eos imitari noſtræ gentis furores, et jam cœpiſſe demoliri templa Pontificiorum. Dn. Daniel Rogerſius certiora forte de his rebus ſciet, antequam hinc diſcedat, quæ tibi narrabit. Ego eum tibi commendo. In Zelandia aliquid audivimus de morte filii Illuſtriſſimi Saxoniæ Electoris; ſed quia id incertâ famâ ferebatur, non credebam eſſe verum. Jam vero metuo, ne non ſit nimis verum, cum aliquot amicorum ad me literis ea fama confirmetur. Vix noſtrâ ætate vixit princeps, cui ita omnia ex animi ſententia ſucceſſerint ac Illuſtriſſimo Saxoniæ Electori; omnem autem ejus felicitatem inopinatus hic caſus ita evertit, ut jam credam eum eſſe omnium principum miſerrimum, cum jam nulla ſuperſit ipſi ſpes ſuſcipiendi liberos ex conjuge. Filius agebat annum decimum nonum ætatis. Ego ex animo doleo vicem parentis, à quo plurima accepi beneficia, et quem judico eſſe præſtantem principem, etiamſi quædam fecerit quæ cuperem ipſum non feciſſe. Sed hæc fecit perſuaſus ab aliquibus, à quibus eſt ipſi impoſitum. Hoc ſcio ipſum fere ſolum conſervare pacem, et tranquillitatem in Germania, et dare operam, ut omnia turbarum initio opprimat, in eamque rem plurimum pecuniæ impendere. Ego vereor, ne fruſtra laboraveris, dum iſtic eramus pro communi noſtro amico, et ne experiaris ea quæ ego tibi de eo dixi, eſſe nimis vera. Video tuum avunculum magnifeciſſe illam amicitiam; quæ res utinam ex animi ſententia ipſi ſuccedat. Utinam

etiam

etiam ſimus memores ingentium illorum beneficiorum quæ apud vos accepimus, et nihil indignum illâ veſtrâ erga nos humanitate committamus. Cum vero fueris primus conciliator iſtius ſive amicitiæ ſive conjunctionis, cui multa poſtea ſunt ſuperſtructa, diligenter cavendum eſt tibi, ne impingas, et ne alienæ culpæ pœnam luas; nam ſcis homines plerumque judicare de rebus ex eventu. "Quem ſua culpa premit, deceptus "omitte tueri." Doleo vicem optimi illius principis, quo iſte pro arbitrio abutitur; nam horum tumultuum Gandavenſium culpa in nos etiam rejicitur. Talem gratiam retulimus pro exhibita nobis humanitate in Zelandia. Aiunt Denremondâ, Aldenardâ, et Dunkerkiâ, (alii mihi dixerunt non ita ſe habere de Dunkerkiâ), pulſos etiam eſſe ſacerdotes Pontificios. Frater tuus recte valet, et eſt admodum præſente animo. Feci, ut notitiam ſeu amicitiæ initia contraheret hic cum iis quos virtute excellere judicavi. Auraicus Princeps et Lanoveus præ aliis ſunt eum complexi, et Lanoveus, ut eſt humaniſſimus, heri quamdiu fuimus in arce, quicquid potuit humanitatis ipſi exhibuit. Principi et Lanoveo gratiſſimæ fuerunt tuæ literæ; uterque enim pro officio præſtito in concilianda ipſi tua benevolentia mihi diligentiſſime gratias egit. Puto etiam ipſos ſuis ad te literis teſtatos eſſe, quam ſit hoc ipſis gratum. Ego non poſſum ſatis mirari Auraici prudentiam et æquanimitatem in tanta negotiorum mole ſuſtinenda, et ferendis tot injuriis, pro quibus interdum etiam gratiam refert, ut nobis accidit. Obſecro, reſpice ejus virtutem, et ne deterreat à colenda cum eo amicitia ejus fortuna, quæ tandem etiam forte magis læta affulgebit. Noſtrum diſceſſum in craſtinum diem coacti fuimus differre, ob pecuniæ procurationem; nam Henricus Wit mihi tardius ſignificavit,

vit, se nihil potuisse impetrare ab eo ad quem habebat literas. Bene vale.

Antuerpiæ, 16. die Marti 1579.

Hispani obsident Trajectum Superius.

LXXVI.

NON dubito quin tuus Stephanus tibi significaverit, nos Antuerpiâ discessisse 18. die superioris mensis. Postridie appulimus Dordracum, satis commodâ navigatione usi. Inde duobus diebus Arnemum pervenimus, ubi tuus frater salutavit Comitem Joannem Nassavium, à quo humaniter est acceptus. Quoniam ibi est nobis significatum, Hispanos sæpe excurrere ad sinistram ripam Rheni, et recens diripuisse merces Antuerpiensium quæ adverso Rheno Coloniam vehebantur, relicto Rheno, conduximus currus, quibus huc quinque dierum spatio sumus vecti; sed admodum incommode, cum terra, crebris pluviis resoluta, in profundius lutum curruum rotas ita devoraret, ut equis non sufficerent interdum vires ad emergendum ex luto, ac pluviæ et venti vehementiores toto fere itinere nos molestiâ afficerent. Fecimus iter ad dextram ripam Rheni, ut ab Hispanorum latrociniis essemus tutiores. Quoniam tuus frater noluit parere monentibus, ut se in itinere adversus cœli injuriam diligentius muniret, invasit eum catarrhus, qui per unum aut alterum diem eum languidiorem reddidit, sed statim restitutus est pristinæ valetudini et alacritati. Excepit nos hic aliud malum; nam ita intumuit Rhenus, ut per plures dies nemo posset eo adverso navigare, ita ut necesse fuerit nautis omnibus, qui merces ex Belgio vehebant Francofurtum, ad hanc urbem subsistere. Præterea

terea ex variis locis nunciabatur, ubique ita infestari itinera ab Hispanis, qui arcem Kerpen huic urbi vicinam obtinent, ut non esset tutum se committere itineri. Consului de ea re primarium hujus reipublicæ consulem, qui pridie reversus erat ab hujus urbis Archiepiscopo, ad quem missus fuerat à senatu, ut cum eo deliberaret, quâ ratione Hispanorum latrocinia reprimi possent. Is mihi fassus est non esse de nihilo hanc famam de latrociniis Hispanorum, et me monuit ut mihi diligenter caverem. Vides quo redigantur res Germaniæ ignaviâ eorum qui reipublicæ administrationi præsunt. Manipulus furum Hispanorum, qui arcem Kerpen huic urbi vicinam obtinent, audent insultare Electori Coloniensi, Duci Clivensi, et huic urbi; nec tamen audet quisquam eorum temeritatem reprimere, licet arx nequaquam sit munita, et ab omnibus partibus sit cincta ditione Coloniensis Electoris et Ducis Clivensis. Hic autem non substitit nostra infelicitas; nam secundo die à nostro adventu in hanc urbem, invasit me gravissimus catarrhus, quo ita mihi intumuit sinistra gena, ut per aliquot dies vehementes dolores senserim. Factâ tandum suppuratione per cicatricem, quam in ea gena circumfero, nonnihil remisit dolor. Præterea Henricus Wit correptus est febre tertianâ. Quoniam autem mercatores, qui venientes Londino hac iter fecerunt, nihil à vobis ad nos literarum habuerunt, et destituimur pecuniâ, estque Francofurti persolvenda ea quam Antuerpiæ mutuo accepimus, ne fides nostra à mercatoribus accusetur, et est alia conquirenda ad iter Argentoratense; fui author fratri, et Henrico Wit, ut Francofurtum irent, et inquirerent, an aliquid ad nos literarum ex Anglia sit missum. Præterea dedi eis literas ad amicos, à quibus peto, ut nobis pecuniam conficiant, si forte nihil à vobis mittatur. Una fuissem profectus, si valetudo mea id ullo

modo permisisset. Adjunxi eos bonis viris, cum quibus mihi intercedit singularis amicitia, qui mihi promiserunt, se in itinere tui fratris diligentem curam habituros. Ego, Deo dante, eos cras aut perendie subsequar, etiamsi amici et medici id vehementer dissuadeant; sed potior habenda est ratio officii quam valetudinis, cum etiamsi properarem, venturus tamen sim Francofurtum sub finem mercatûs, quo finito mihi foret difficile pecuniam conficere; dolerem autem plurimum, si tuus frater, meæ fidei concreditus, in aliquas difficultates incideret. Non libenter eum à me dimisi, sed metuebam ne læderetur ejus valetudo, si diutius hic hæreret, cum sciam adolescentes odore pharmacorum offendi, quem evitare non potuit, cum hic anguste habitaremus ob multitudinem eorum qui ad hæc loca confluunt. Jam huc venerunt ii qui delecti sunt ab Imperatore ad componendas turbas Belgicas, et ad restituendam illis afflictissimis provinciis tranquillitatem. Sunt autem Trevirensis Elector, qui huc venit stipatus magnâ catervâ Jesuitarum, Coloniensis Elector, Episcopus Herbipolensis, et legati Ducis Juliacensis. Advenit etiam Dux de Terra Nova, et Comes Schwartzenbergius, Imperatoris apud Belgas orator; et ne quid deesset ad turbandum hanc actionem de pace, missus est huc à Pontifice Romano Castanea Archiepiscopus Rossanensis, quem qui norunt, dicunt esse omnium veteratorum, quibus abundat aula Romana, vaferrimum, et plane dignum qui sepeliatur ubi nascuntur castaneæ. Nondum advenerunt Belgici legati. Si quæras quid de hac actione ego sperem, respondeo me nihil sperare, cum isti actores rerum Belgicarum exiguam notitiam habeant, et superstitionibus Pontificiis ita sint imbuti, ut aperte profiteantur, non posse in Belgio pacem constitui, nisi religio Pontificia ubique restituatur. Bene vale.

Coloniæ, 7. die Aprilis 1579.

LXXVII.

DIscessurus Coloniâ, scripsi ad te de morbo in quem ibi incidi, et de aliis nostris rebus, et præsertim quid me impulerit, ut huc fratrem tuum præmitterem. Is, Dei beneficio, huc incolumis perductus est ab iis quorum fidei eum Coloniæ concredideram. Æger adhuc commisi me itineri, quoniam ante finem mercatûs huc erat mihi veniendum, ad conquirendam pecuniam, quo possem eam dissolvere quam Antuerpiæ mutuo acceperamus, ac fratrem tuum ducere Argentoratum, et eum viatico instruere; nam de vestris ad nos literis nihil potuimus rescischere ab iis qui, Londino huc venientes, fecerunt iter Coloniâ. Veni huc ante paucos dies, ubi quidem reperi literas quas ad me dedisti 26. die superioris mensis, in quibus scribebas, te dedisse Cassiodoro Hispano syngrapham Illustrissimi Principis Casimiri; verum ubinam terrarum esset Cassiodorus, uxor ejus et amici plane ignorabant. Itaque cum jam instaret finis mercatûs, hinc inde apud amicos sumpsi mutuo pecuniam, in usus tui fratris; in qua re aliquid difficultatis sum expertus, quia plerique ex iis qui mihi sunt noti, antequam huc venirem, discesserant, vel suam pecuniam in merces coemendas impenderant. Id etiam aliquid impedimenti adferebat, quod ex morbo adhuc ita langueam, ut vix possim ambulare, et amici me perpetuis interpellationibus obruant. Principis Casimiri quæstorem hic compellaveram, qui mihi respondit, se pecuniam vobis debitam libenter persoluturum, modo ipsi principis syngrapha traderetur. Itaque nihil inde nobis sperandum fuit. Jam ad iter accincti eramus, cum præter nostram expectationem advenit Cassiodorus,

qui

qui nobis literas vestras et syngrapham Principis Casimiri reddidit. Acceptâ syngraphâ, statim conveni quæstorem Principis Casimiri, qui mihi debitam vobis pecuniam persolvit. Restitui itaque amicis eam quam ab ipsis mutuo acceperam; quibus cum aliquid pendere vellem pro damno, quod præstitum nobis officium ipsis adferebat, (potuerunt enim cum lucro merces suas pecuniâ emere), nihil accipere voluerunt. Sed de hac re puto Henricum Wit ad te diligentius scribere. De Wackero nobis nulla superest spes; jam enim agit in Italia. Facile erit reperire tuo fratri præceptorem non indoctum; sed plerique sunt rusticiores; et metuo si talis ei contingat, ne eum fastidiat, aut contemnat, et ne ei non bene conveniat cum ipsius ministris. Id me valde solicitum habet, quoniam video in eo plurimum esse situm. Scripsi ad Lobetium, et ad alios amicos, ut de ea re diligenter cogitent. Ubi eum perduxero Argentoratum, scribam ad te diligentius de ratione studiorum ejus. De rebus publicis pauca habeo quæ scribam; nam Belgica tantum hic audimus, quæ vobis quam nobis sunt notiora. Imperator sibi et Austriacis facessit negotium in causa religionis; et sane verendum est, ne quid magni mali inde oriatur; nam Austriaci contumaciter contemnunt edicta quibus Archidux Ernestus interdicit ipsis purioris religionis exercitium. Petit Imperator ab ipsis subsidium pecuniarium ad res Hungaricas, de qua re ut deliberarent, conventum indixerunt. Sunt qui existiment, Imperatorem vix quicquam ab ipsis impetraturum, nisi permiserit ipsis eam religionis libertatem, quâ, vivo ejus parente, fruebantur. Facessit etiam negotium in religione Hungaris, sed ipsi eum minus curant. Audio plerosque ex nobilitate, et maxime ex iis qui cis Danubium habitant, esse propenso animo erga Regem Poloniæ, qui forte illis in locis aliquid moveret, nisi fa-

cesseret ei negotium Moschus; nam nuper per legatum repetiit ab Imperatore oppidum Satmar, et arcem Zooloch, quæ dicit ad Transylvaniam pertinere. Jam celebratur Pragæ generalis (ut vocant) conventus regni Bohemici; ad quem non solum vocati sunt ordines Bohemiæ, sed etiam Moraviæ, Silesiæ, et Lusatiæ. Imperator petit ab ipsis, ut debita facta ab avo et parente ejus dissolvant, et ut collationes pecuniæ, quæ aliquoties ab ipsis fuerunt à patre impetratæ in conventibus, fiant perpetuæ. Vult præterea nova vectigalia instituere, cum tamen miseræ illæ provinciæ sint crebris exactionibus ad tantam paupertatem redactæ, ut pleraque oppida deserantur. Audivisti copias Moschi, quæ obsidebant arcem Wenden in Livonia, fuisse cæsas à Suecis et Polonis sub initium hiemis. Moschus, ut ulciscatur arreptam cladem, conscribit maximas copias, cum quibus putatur irrupturus in Lithuaniam. Jam apparet quanta sit Polonorum vanitas, qui perpetuo habent in ore, se habere ducenta millia equitum; eorum enim Rex petit ab Imperatore et ab Electoribus, ut sibi liceat militem conscribere in Germania; nec desunt qui dicant, Lithuanos velle transigere cum Moscho, ipso etiam Rege invito. Ignosce brevitati literarum; nam sum occupatissimus. Ego plura scribam Argentorato. Scribam etiam ad illustrissimum tuum parentem, et ad nostrum humanissimum Dominum Dierum, quos peto ut officiose meo nomine salutes. Si Andegavensem in Angliam admiseritis, id mihi mirum videbitur. Bene vale.

Francofurti, 20. Aprilis 1579.

LXXVIII.

DIscessurus Francofurto, dedi ad te literas, in quibus scripsi, nobis tandem persolutam esse pecuniam quam mutuo dederatis Illustrissimo Principi Casimiro ex Anglia discessuro. Huc venientes Francofurto, Neustadium deflexímus, ut Principem Casimirum salutaremus; coactus enim fuerat tuus frater id ipsi in Zelandia promittere. Diem unum tantum ibi mansimus; et huc, Dei beneficio, salvi et incolumes 28. die superioris mensis venimus. Statim ubi huc veni, deliberavi cum Doct. Lobetio, de hospitio in quod tuus frater diverteret, et de preceptore ei adjungendo; de quibus rebus ipsum Lobetium antea præmonueram, ne ad eum nostrarum rerum plane ignarum veniremus. Commode accidisse videtur, ut, paucis diebus ante nostrum in hanc urbem adventum, discesserint à Domino Sturmio illustres quidam adolescentes, qui per aliquot annos apud ipsum vixerunt. Itaque Doct. Lobetius et ego, cum judicaremus fore honorificum, et ob multas causas utile tuo fratri, apud ipsum vivere, egimus de ea re; proque ea amicitia quæ cum ipso à multis annis intercedit nobis, facile impetravimus quod voluimus. De præceptore difficilior fuit deliberatio, quæ me per sex aut septem dies hic detinuit; et cum nullus occurreret qui nobis plane satisfaceret, conduximus juvenem Silesium, institutum Heidelbergæ à Doct. Zacharia Ursino, et qui postea docuit in schola Neuhausii prope Vormaciam, instituta à piæ memoriæ Electore Frederico Palatino, et jam eversa ab ejus filio. Ita autem est à nobis conductus, ut liceat nobis post quinque menses eum dimittere, si ita nobis videatur, quod ideo fecimus, ut interea possimus inquirere an

magis

magis idoneus haberi possit. Quam sit autem hic futurus idoneus, ad id præstandum quod ab eo requirimus, Dominus Sturmius et Doct. Lobetius postea ad nos perscribent. Constituimus ei mercedem suorum laborum, seu stipendium, ut vulgo loquimur, menstruos coronatos tres Hispanicos, seu quinque florenos Germanicos, præter victum et habitationem, quæ merces est ejusmodi, ut vix possit necessarias vestes eâ sibi comparare. Domino Sturmio quâlibet hebdomadâ numerandi erunt decem thaleri, pro victu et habitatione; tantundem enim ipsi numerarunt ii qui ante tuum fratrem apud ipsum vixerunt. Paulo minoris forte potuisset apud vulgarem civem vivere; sed non tam commode vixisset, aut habitasset; et quia cives solent plerumque ad eandem mensam plures convictores admittere, in quos nihil habent imperii, interdum solent rixæ inter ipsos exoriri, et sunt exteri semper magis obnoxii injuriæ quam ii qui in patria vivunt, et præsertim in his regionibus; quare consultius est, eum vivere apud virum, cujus authoritatem revereantur ejus convictores, et coram quo petulanter aut insolenter nihil audeant facere. De studiis fratris, ac de minuendis sumptibus quos in eum facitis, postea diligentius scribam. Ejus indoles mihi magis ac magis placere incipit, et valde gaudeo, nullum esse hic Anglum præter ipsum et ejus ministros. Est hic quidam Scotus, cujus curæ commissi sunt filii Domini Andeloti ex secundo conjugio, qui si hinc abesset, ego non valde dolerem. Jam eo ad Dominum Schuendium, qui pluribus literis me ad se invitavit. In reditu hac faciam iter, et videbo quomodo studiorum initia tuo fratri succedant. Hinc proficiscar ad thermas Antoninas, seu Badenses, valetudinis curandæ causâ; nam sum adeo languefactus morbis, quibus per hiemem laboravi, ut vix ambulare queam, et labores itineris, qui antea

mihi

mihi jucundi esse solebant, jam mihi plurimum molestiæ adferunt, et difficulter eos perferre possum; et sane huc veniens Francofurto valde metui, ne me morbus aliquis invaderet, qui iter nostrum remoraretur; quod tui fratris causâ, magis quam meâ, metuebam. Jam cum sint res ejus utcunque constitutæ, longe minus metuo quam antea, quamvis non melius habeam. De rebus publicis nihil jam habeo quod scribam. Elector Palatinus dat, ut nôsti, filiam suam in uxorem Carolo, fratri Regis Seuciæ, quod omnes mirantur, cum tantum sit nata annos septendecim. Nuptiæ celebrabuntur die undecimâ hujus mensis. Quoniam ad te quibusdam de rebus scripturus sum, ubi Antuerpiam venero, mitto ad te annotata tria aut quatuor nomina in scheda quam his meis literis inserui. Peto ut vel schedam serves, vel ea nomina mandes memoriæ. Bene vale. Hæc scribo prorsus defatigatus, et animo plane perturbato.

Argentorati, 4. die Maii 1579.

LXXIX.

SUperioribus meis literis significavi tibi fratrem tuum incolumem Argentoratum pervenisse, meque impetrasse à Domino Joanne Sturmio, ut eum ad se reciperet. Dedimus ipsi præceptorem, virum doctum, et, ut existimo, pium et bonum, de quo quid sentiam infra scribam. Ubi ipsi utcunque consultum esse existimavi, veni huc ut membra languidiora facta laboribus et morbis, cum quibus per hiemem sum conflictatus, dierum aliquot lotione in his thermis reficerem, et sane videtur recursurus morbus, quo laboravi Coloniæ, unde discessi antequam esset recte curatus. Ubi me nonnihil collegero, properabo Antuerpiam, etiamsi

multi

multi id mihi diſſuadeant, et in primis Dominus Schuendius; ſed non ſum is qui me ab eo quod decrevi facile abduci patiar. In itinere multa mihi venerunt in mentem, quæ ad te ſcribam ubi Antuerpiam pervenero. Sed ad fratrem tuum redeo, cujus ingenium exploravi, et affectus obſervavi, quantâ potui diligentiâ, totis fere tribus menſibus, quibus una viximus; quod ideo feci, ut tibi indicarem quâ ratione regi adoleſcentia et ei à vobis optime conſuli poſſit. Tanta eſt in ipſo celeritas et ſagacitas ingenii, ut neſciam an quenquam alium adoleſcentem noverim, qui iis dotibus animi ſit cum eo conferendus, ſi te unum excipiam. Ambitioſe quidem incumbit literarum ſtudiis; ſed id quod cœpit minus conſtanter perſequitur, et circa plurima vagatur. Tantum profecit in itinere, ut jam loquatur expeditiſſime Latine, et non incommode Gallice. Feci aliquoties periculum, quantum Latine ſcribendo poſſet, ſed animadverti eſſe inexercitatum; quare monui ipſum, ut ſe ſcribendo quotidie exerceret; et mandavi præceptori, ut ejus rei curam ſuſciperet, ac etiam eum declamando exerceret. Nec Domino Sturmio nec mihi viſum eſt conſultum ut ad claſſes (ut loquuntur) accederet, cum ibi interdum adoleſcentes illiberaliter tractentur ab imperitis præceptoribus, ſed ut audiat tantum publicos profeſſores; cum præſertim habeat præceptorem, qui poſſit ipſum domi docere ea quæ docentur in claſſibus. Non eſt autem quod metuatis, ne ſeveriore diſciplinâ retundatur in eo animi alacritas, et fiat inepte verecundus; eſt enim eo ingenio, ut potius cavendum ſit, ne peccet in alteram partem; nam eſt animoſiſſimus, nec facile patietur ſibi eripi eam libertatem, quam ipſi indulſerunt ii à quibus eſt educatus. Morum gravitate et verecundiâ nequaquam eſt tibi ſimilis; quare cum eas virtutes præ aliis colant Germani, u-

 tile

tile erit ipſum aliquandiu in Germania vivere, et quidem apud Sturmium, cujus præſentiam cogetur revereri in menſa, ubi maxime ſolet eſſe locus levitati et petulantiæ. Videtur futurus proclivior ad voluptates, à quibus nullâ ratione melius abduci poterit, quam ſi ipſi adjungatur aliquis, qui ingenio et morum facilitate authoritatem ſibi apud ipſum acquirat, ac ipſum arte regat; poſt unum enim aut alterum annum non patietur ſibi imperari, cum ſit excelſo animo, et facile contemnet eos quos intelliget multa ignorare quæ ipſe ſciet: plurima autem mihi in itinere propoſuit, ad quæ qui reſpondeant paucos in ſcholis reperiet. Præceptorem (ut dixi) habet bonum et doctum virum, qui fuit profeſſor in Neuhauſiana ſchola prope Vormaciam, ſed qui nihil præter literas novit; quare vereor ne apud ipſum authoritatem ſuam tueri non poſſit. Monui tamen noſtrum, fore ipſi indecorum præceptorem non revereri, et dixi Rolando et Simeoni, illuſtriſſimum tuum parentem et te velle, ut ipſi obtemperent præceptori. Quoniam à me poſtulas, ut ad te ſcribam quid de Henrico Wit ſentiam, in ea re tibi obſequar. Ego judico eum virum bonum, gravem, et modeſtum, et cupidum comparcendi; ſed metuo ne rei œconomicæ non ſit ſatis peritus, hoc eſt, ne ſit interdum parcior ubi liberalitas aliqua requiretur, et liberalior ubi ſatius eſſet eſſe parcum; non habet autem eam peritiam Latinæ aut Germanicæ linguæ, ut poſſit eos excipere qui fratrem tuum interdum inviſent, vel ipſum deducere ad eos qui erunt inviſendi. Præceptor forte id poſſet præſtare; ſed meo judicio frater tuus alterius conſiliis regetur. Mihi vero neceſſarium videtur, ut cum aliis illuſtribus adoleſcentibus notitiam contrahat, quo poſſit eorum conſuetudine linguam et mores Germanicos addiſcere; quod ſi omnium conſuetudinem vitet, ea res ipſi odium con-

ſlabit. Feci ut contraheret notitiam cum Carolo Zerotino, quem vidiſti Brunnæ in Moravia apud Doct. Jordanum, qui nos poſtea ad ejus patrem deduxit. Is adoleſcens, omnium fere judicio, videtur ſuperare ingenio et morum elegantiâ reliquos illuſtres adoleſcentes qui jam vivunt Argentorati. Dominus Schuendius ſane ejus ingenium mihi valde commendavit. Cum nuper apud ipſum cœnaremus, toto cœnæ tempore in hoc intentus fuit, ut inſerviret tuo fratri, quem poſtea ſum hortatus, ut cum eo præcipue amicitiam coleret; nam eleganter loquitur Latine et Germanice, et eſt in eo inſignis morum ſuavitas et elegantia. In turbam miniſtrorum, quas ipſi adjunxiſtis, multum impendetur; nec video quid inde utilitatis ad ipſum perveniat, niſi forte metuitis ne oblivifcatur linguæ Anglicæ. Putarem ſatis eſſe ipſum habere præceptorem et famulum tantum, modo Wackerum aut aliquem ipſi ſimilem habere poſſemus. Rolandi Wit ingenium, modeſtia, et ſedulitas, mihi admodum probatur; quare eſſet ipſi relinquendus. Scripſi antea Wackerum eſſe in Italia. Superiore hieme vidi Gandavi, et poſtea Antuerpiæ, apud Dominum Pleſſeium, quendam juvenem, qui, ſi recte memini, nominatur Sommerus vel Semerus, qui mihi valde placuit; viſus eſt enim mihi prudens et multarum rerum peritus, et elegantiſſime Latine loqui; ad quæ accedebat morum facilitas et elegantia. Pleſſeius et Villerius valde mihi commendaverunt ejus ingenium, eruditionem, et pietatem, et dixerunt ejus poſſe eſſe magnum uſum in republica, ſi ad eam adhiberetur. Si eſt adhuc ſui juris, et poſſet ab eo impetrari, ut noſtri Roberti curam ſuſciperet, videretur mihi ad eam rem eſſe maxime idoneus. Natus eſt, ut audio, Gandavi, honeſtâ familiâ, unde diſceſſit cum videret cœco quorundam impetu potius quam ratione rempublicam ibi adminiſtrari.

Notus

Notus eſt, ut exiſtimo, ac etiam amicus Domino Danieli Rogerſio, qui tibi certius quam ego indicabit quiſnam is ſit. Cum venero Antuerpiam, ſi eum reperero, pertentabo ejus animum, et quid de eo ſperandum ſit tibi ſignificabo. Videbor forte tibi nimis multis iſta de fratris inſtitutione perſequi; ſed id indulgebis facile meo erga ipſum amori; et ſane video eam eſſe ipſius indolem, ut non ſolum deceat vos diligentem ejus curam ſuſcipere, ſed etiam neceſſe ſit, ut id faciatis; nec eſt quod eum tuo pede ac modulo metiaris; nam in animum ejus poſſunt irrepere ea vitia quibus naturæ vehementiores ſunt obnoxiæ; tu vero ab ipſa prima adoleſcentia fuiſti adeo ſedato ingenio, ut non ſolum potueris tuos affectus moderari, ſed etiam eos, qui tibi inſerviebant, coercere, ſi quid præter decorum ab ipſis fiebat. Bene vale.

Ex thermis Antonini ſeu Badenſibus, 24. die Maii 1579.

LXXX.

NActus hanc ad te ſcribendi occaſionem, tibi indicandum putavi, me jam utcunque valere, et conſtituiſſe pergere Antuerpiam, quo me contendentem varii morbi hactenus ſunt remorati; ita ut experiar jam plane fractam eſſe meam valetudinem. Hi ſunt fructus laborum et moleſtiarum quas ſuperiore hieme pertuli, dum, neglectâ mei curâ, alienis affectibus obſequor. Arbitri pacis Belgicæ huc miſſi ab Imperatore, brevi ad ſua redituri dicuntur. Si ſerio id egerunt, ut tumultus Belgicos componerent, fruſtra totam æſtatem hic contriverunt; quod ſi dederunt operam, ut fœdus illud, quo conjuncti erant Belgæ, ad propugnandam ſuam libertatem adverſus Hiſpanos, diſſolve-

rent, res ipsis ex animi sententia successit; jam enim sunt scissi in factiones, et inter se commissi Belgæ, cujus rei istos esse authores dicunt ordines Belgici. Proposuerunt conditiones pacis, non quidem iniquas Pontificiis; sed quibus minus libertatis in religione nostris conceditur, quam concessum sit ante triginta menses, pâce factâ inter Joannem Austriacum et ipsos ordines Belgicos. Jam mutabitur in Belgio status causæ, et qui conjunctis viribus antea de sua libertate adversus Hispanos pugnabant, posthac de religione inter se pugnabunt, ut est factum in Gallia, et se mutuis vulneribus conficient. Hæc est nostrorum regum insania, qui rerum suarum jacturâ, et provinciarum, quibus imperant, ruinâ, Pontificis imperium in se stabilire conantur. De tuo fratre sum admodum solicitus. Jam discedet ab eo præceptor, quem ante quinque menses ei adjunxeram, usus in ea re consilio Domini Sturmii, et Doct. Lobetii. Necesse est, meo judicio, ut virum doctum secum habeat, à quo instituatur, et cujus consiliis regatur. Habet secum Henricum Wit, cui assuevit, quem cuivis preceptori semper præferet. Ego sane. Henricum magnifacio, et judico eum esse virum gravem, modestum, prudentem, et qui in multis rebus tibi usui esse poterit; sed tamen non puto esse idoneum ad regendam adolescentiam tui fratris; nam cum nullam peregrinam linguam ita calleat, ut possit cum exteris commode confabulari, vitat eorum consortia, quod est incommodum tuo fratri, qui nisi Germanorum familiari consuetudine usus fuerit, non recte discet Germanicam linguam, et rerum Germanicarum ignarus ad vos redibit. Domi cum suis linguâ Anglicâ utitur, ut ad me scripsit Lobetius. Facile conjicere potes, de inanibus rebus eos plerumque inter se differere, quod minus solet fieri in colloquiis quæ habemus cum iis qui non sunt nostri populares,

lares, qui sæpe aliquid de suæ gentis moribus, vel institutis, referunt, quod nos erudit. Tu sæpe apud me conquestus es, tibi fere periisse tempus illud quo vixisti Argentorati; et sane si rationes tuas initio recte instituisses, non fuisset tibi difficile, in tanta ingenii et memoriæ felicitate, linguam Germanicam addiscere, quod ornamentum utinam ad tua reliqua accessisset. Videndum est itaque, ne ad eundem scopulum impingat tuus frater; et cum per ætatem sibi consulere non possit, oportet te ejus rei curam suscipere. Rescripsit mihi Patavio Dominus Wackerus, et significavit se jam non esse sui juris, sed se daturum operam, ut etiam cum suo incommodo se explicet, quo possit nobis gratificari, si tu et ego id ab ipso plane requiramus. Censeo non esse abutendum ejus humanitate; si enim id faceremus, non ignoras quanta obligatio inde nasceretur. Rogo, ut mihi significes quid ipsi rescribendum censeas; nam est omnino rescribendum. Ex iis qui mihi sunt noti, superest juvenis ille Gandavensis, qui apud Dominum Plesseium vivit, de quo antea ad te scripsi. Is mihi visus est cum eruditione et prudentia, morum suavitatem conjunxisse; sed ejus animum nondum exploravi; explorabo autem ubi Antuerpiam venero, si ita tibi videbitur. Potes de hac re agere cum Domino Belo, vel cum Domino Rogersio. Ii forte tibi indicare poterunt, aliquem ad hanc provinciam sustinendam idoneum. Hæc verbosius persequi me cogit amor, res (ut inquit poeta) soliciti plena timoris. Scio quantum tibi et illustrissimo tuo parenti debeam; et scio mihi habendam esse fratris tui curam, non solum propter meum erga ipsum amorem, sed quia vobis fui author, ut eum in Germaniam mitteretis, cujus rei me sæpe in suis literis monet, ut sim memor. Doct. Lobetius mihi indicaverat hospitis sui filium, adolescentem egregie doctum, et

qui linguam Gallicam et Italicam tenet, et eſt moribus elegantioribus quam plerumque eſſe ſoleant Germani; ſed quia vix ſuperavit viceſimum ætatis annum, præceptoris authoritatem tueri non poſſet. Ante tres menſes incidi Lutreæ in Joannem Serranum, qui nuper Platonem in linguam Latinam vertit. Inſcripſit opus Sereniſſimæ veſtræ Reginæ, ad quam miſit ejus exemplar elegantiſſime compactum. Tibi etiam unum miſit. Cupit ex te ſcire, an Regina librum acceperit, et quid de eo judicaverit. Sapienti dictum ſatis eſt. Si diu fuerit ſuperſtes, meo judicio, habebitur inter clariſſimos viros in re literaria; nam eſt adhuc juvenis, et inſigniter doctus, et certe dignus eſt qui honorario aliquo à Sereniſſima Regina ornetur; opus enim iſtud multo labore et multis vigiliis ipſi conſtitit. Mitto ejus ad te literas, ad quas peto ut reſpondeas, et mittas tuas literas ad me Antuerpiam in ædes Chriſtophori Plantini, typographi notiſſimi. Bene vale, et officioſe meo nomine ſaluta illuſtriſſimum tuum parentem, et humaniſſimum noſtrum Dominum Dierum, ad quos ſcribam ubi venero Antuerpiam. Hæc noctu ſcribo cæcutiens.

Coloniæ, 24. die Septembris 1579.

LXXXI.

DIſceſſurus Coloniâ, dedi ad te literas Aſcanio, bibliopolæ Londinenſi, quas puto te accepiſſe. Huc veniens, noſtrum Cluſium reperi accinctum ad iter, quem per unum aut alterum diem ſum remoratus, ut de rebus veſtris certiora ex eo ſcirem. Ex ipſo, et ex tuis literis, certior factus ſum de controverſia inter te et Comitem Oxonienſem exorta, quæ res mihi magnum

gnum dolorem attulit. Etiamsi sciam, inveteratâ consuetudine in toto orbe Christiano, nobilitati contumeliosum esse ejusmodi injurias non repellere, ego nihilominus tuæ infelicitati ascribo, quod pertractus sis in hanc contentionem, quamvis penes te nullam ejus rei culpam residere videam; nihil enim veræ gloriæ inde referre potes, etiamsi tuam industriam et animi magnitudinem omnibus probaveris; virtuti tuæ alio theatro opus erat, quod utinam tibi in his regionibus delegisses. Cave autem, ne à ferocioribus persuasus, innatæ tibi modestiæ fines transilias. In ipsa sane contentione progressus es ulterius quam debueris; nam cum impactum tibi convicium objecto mendacio à te rejecisses, debuisti consistere; verum fervore animi raptus, provocationem adjecisti, et ita tibi eripuisti armorum optionem, si quando duello decidenda erit hæc controversia; nam ejusmodi duellis, quæ sunt injustissima, sua jura attribuerunt ii qui docere voluerunt, quomodo cum mensura insaniendum sit. Si objecto mendacio constitisses, ejus erat te provocare. De duellis nostrâ ætate scripserunt aliquot jurisconsulti. Gulielmus Neuburgensis, scriptor Anglicus, refert decreta cujusdam synodi, quibus plane damnantur duella, et Christianis interdicuntur. Cum tuus adversarius factioni Andegavensi se addixerit, si vester procus ad vos redierit, stipatus multâ nobilitate Gallicâ, cavendum erit tibi, cum non ignores quanta sit nostrorum hominum temeritas. Gaudeo tuum Henricum Wit ad te redire, et cuperem te aliquot ei similes habere; nam judico eum virum fortem, et modestum, et metuo ne cogaris te munire præsidio hominum, quorum mores tibi minime probabuntur. Oro Deum Omnipotentem, ut te servet incolumem, nec patiatur te aberrare ab ea virtutis semita cui hactenus constanter institisti.

Deprehensæ

Deprehensæ sunt tandem imposturæ eorum qui suis sceleribus "domûs charitatis" nomen obducebant. Rex eorum detinetur captivus in oppidulo Cliviæ, quod sesquimilliare Germanicum abest à Wesalia. Captus fuit ante biennium, ob suspicionem maleficii, sed ignorabatur quisnam esset. Nuper vero proditus fuit à puella, cui mandaverat, ut in urbe Wesaliensi puteos aliquot veneno inficeret. Habuit quatuor et viginti uxores, quarum duæ captæ sunt Wesaliæ; dicunt enim summum scelus esse cum muliere gravida concumbere, et propterea licere iis qui se continere non possunt, plures uxores ducere. Habuerunt suos magistratus, ac etiam carnifices, qui capite plecterent eos quos nocentes judicabant. Dicunt rejectos esse à Deo, et tollendos, omnes principes et magistratus à quibus regitur orbis Christianus, et se esse mites illos beatos, quibus, apud Matthæum, terræ possessio promittitur, quam tandem, sublatis injustis magistratibus, se consecuturos sperant. Cœperant grassari latrociniis, et jam ruri aliquot nobilium domos diripuerant. De his rebus diligentius inquiram, et quæ habebo ad te perscribam; nam ab aliquot annis, animadverti te fuisse cupidum cognoscendi mysteria, quæ sub hoc nomine "domûs charitatis" latebant. De statu harum regionum scribam, ubi melius habuero; hic enim denuo incidi in morbum, quo ita discrucior, ut vix hæc scribere potuerim; et id mihi incommodissime accidit, quod cogor ferre strepitum publici diversorii; nondum enim mihi privatum hospitium conduxi. Scripsi ad te Coloniâ de studiis tui fratris, de quo sane sum solicitus, et judico de præceptore ei mature prospiciendum esse, cum præsertim ab eo discesserit Henricus Wit, quem ego tibi commendo; nam de tuo fratre bene meritus est, ut etiam in suis ad me literis scribit Doct. Lobetius. Tuus frater mihi commendat Simeonem,

nem, dicitque ſibi et diligenter et fideliter inſerviviſſe. Bene vale, et apud illuſtriſſimum tuum parentem, et Dominum Dierum, excuſa quod non ſcribam. Ubi melius habuero, ſcribam ad eos.

Antuerpiæ, 14. die Octobris 1579.

Si voles ad me ſcribere, poteris literas tuas mittere ad Christophorum Plantinum, typographum, vel ad Georgium Gylpin, ſecretarium ſocietatis mercatorum Anglorum.

LXXXII.

SPero te accepiſſe literas quas dedi Henrico Wit, hac iter facienti, ex quo intellexiſti quæ fuerit mea valetudo, cum hinc diſceſſit. Poſt ejus diſceſſum, ſatis graviter conflictatus ſum cum morbo, cujus vidit initia, quo tandem, Dei beneficio, ſum liberatus. Solicitudo de tuo fratre me admodum exercet. Excidimus ſpe quam conceperamus de Jacobo Somero Gandavenſi. Scripſi ad eum quod eſſet tuum de eo judicium, et quid de eo conſtituiſſes, et petii ut ſuum animum vel tibi, vel mihi, ſignificaret. Reſcripſit, ſe habere tibi gratiam pro honorifico de eo judicio, et cupiviſſe tibi obſequi in ea re quam ab ipſo petebas, ſed obſtare parentum voluntatem, quibus inconſultis nihil auſus fuit de tanta re decernere; audio id agi, ut munus aliquod in republica ſuſcipiat. De alio ſane cogitandum erit; nam mihi non videtur conſultum, ut tuus frater moderatore et informatore adoleſcentiæ diu careat, præſertim extra patriam; quamvis ne in patria quidem id ei eſſet utile. Tu vide an aliquem iſtic nanciſci poſſis, qui ſit ad eam rem idoneus. Conſulam bonos viros, et videbo an aliquis hic ſit qui

 vobis

vobis usui esse possit. Ex literis quas Henrico Wit ad te dedi, intellexisti, me eas accepisse in quibus facis mentionem controversiæ exortæ inter te et Oxoniensem Comitem. Scriptum est etiam de ea re, ad Illustrissimum Principem Joannem Casimirum; nam nuper ad me scripsit, se magnum dolorem ex ea re cepisse. Petit autem, ut videas, an aliquid ab ipso proficisci possit, quo juvari queas; tibi enim sua officia nequaquam defutura pollicetur. Jussit ut hæc tibi significarem, quare poteris per occasionem ei gratias agere pro ista significatione benevolentiæ erga te. Beutterichius etiam omne suum studium, et suam operam, tibi defert. Etiamsi (ut inquit poeta) quas credis esse has, non sint veræ nuptiæ, ista tamen simulatio apud vos excitavit factiones, quæ non facile sopientur, in quas metuo ne pertraharis. Ad id, de quo meum judicium exquiris, sic respondeo. Non puto in orbe Christiano inter homines illustres vivere quenquam Auraico principe prudentiorem. In La Novei animo plurimæ virtutes certant inter se de principatu, ad quas accedit ea rei militaris peritia, ut ipse princeps, et alii qui hic sapiunt, eum rerum suarum columen existiment. Nuper in Galliam ire volentem, ita tamen, ut se post aliquot menses reversurum promitteret, multis precibus obtestati sunt ne iret, affirmantes ipsius operam sibi jam esse necessariam. Quamvis sine magno detrimento rei familiaris, ut ipse mihi est fassus, non potuerit illud iter intermittere; prætulit tamen publica commoda suis privatis, et passus est sibi persuaderi ut maneat. Jam cum imperio missus est in Flandriam. Sunt hic plures tribuni, et præfecti militum, Angli, Scoti, Galli, et indigenæ, qui habentur viri fortes, et rei militaris periti, sed conjungi non possunt, si absit La Noveus, nullus est enim inter eos qui alterius imperio subesse velit; La Noveo autem

parent omnes libenter. Horum duorum virorum, quos ita commendo, tibi parata erit amicitia et familiaritas, ſi huc veneris; nam uterque jam te diligit, et de te præclare ſentit. Agam tecum libere meo more; nam ſum perſuaſus, noſtram amicitiam eo deveniſſe, ut alter alterius libertate offendi non debeat. Fuit mihi jucundum, ſuperiore hieme, videre te gratiâ florentem, et in magna apud omnes exiſtimatione; ſed, ut nihil diſſimulem, viſa ſunt mihi minus maſcula veſtræ aulæ exercitia quam cupiviſſem, viſique ſunt mihi plerique ex proceribus potius ſibi quærere laudem ex affectata comitate, quam ex iis virtutibus quæ ſunt ſalutares reipublicæ, et quæ generoſos animos, ac illuſtri loco natos homines, maxime decent. Dolebam itaque, et mecum alii tui amici, te in ejuſmodi rebus iſtum tuæ ætatis florem deterere, et metuebam ne eximia illa tua indoles tandem retunderetur, et conſuetudine tibi placerent ea quæ animos noſtros emolliunt. Si Oxonienſis, arrogantiâ et proterviâ ſuâ, te ex eo ſomno excitavit, minus in te peccavit quam ii qui erga te hactenus indulgentiores fuerunt. Sed jam ad inſtitutum redeo. Perpende tecum diligenter quid tuis rebus conducat, antequam aliquid conſtituas; nam ubi aliquid conſtitueris, illud erit conſtanter exequendum. Scis te ſuperiore anno feciſſe hic aliquibus ſpem tui adventûs in has regiones. Etiamſi nullâ tuâ culpâ factum ſit, ut non veneris, ſi tamen denuo idem accideret, multi in te animi conſtantiam requirerent, nec ſatis foret te eſſe extra culpam; quare in ea re cautum te eſſe oportet. Si illuſtriſſimo tuo parenti, et aliis tibi neceſſitudine conjunctis, tuus è patria diſceſſus nihil incommodi attulerit, bene tuis rebus conſules, ſi huc veneris, quantum quidem conjecturâ aſſequi poſſum. Vix autem inter incommoda numero moleſtias, quas ob vehementem amorem quo te proſe-

quuntur ex tua abſentia ſentient; nam ſpero te rerum uſu ac cognitione auctum, et exiſtimatione florentem, ad ipſos ita reverſurum, ut ſibi ipſis ſint gratulaturi, quod ab ipſis diſceſſeris, et tuum conſilium laudaturi. Ipſorum vero authoritatem abſens, non minus quam præſens, tueberis, ſi te rei militari plane addixeris, et præſertim ſi in ea ſucceſſus aliquos habueris. Quod ſi eximia illa virtutum ſemina, animo tuo à Deo infuſa, diligenter excolueris, et rei militaris peritiam et authoritatem apud milites adeptus fueris, quod futurum confido, perpende tecum, quanto uſui ac etiam præſidio patriæ in rebus dubiis eſſe poteris; et ſane opus erit veſtræ reipublicæ hominibus non vulgari virtute præditis, ad avertenda mala quæ poſt mortem Reginæ ei impendere videntur. Ego quidem ex animo oro Deum Omnipotentem, ut ipſam vobis diu incolumem ſervet; ſed tamen cum ſit homo, et jam ad ſenium vergat ejus ætas, non malè de republica merebuntur, qui maturè cogitabunt, quâ ratione malis poſt ejus mortem impendentibus occurri poſſit. Ubi de tuis rebus aliquid certi conſtitueris, ſi illud mihi ſignificare voles, dabo operam, quantum in me erit, ne hic ſis privatus, ſed ut aliquo munere orneris, quod te deceat; ſuſpicor autem me non eſſe exoſum quibuſdam, qui hic non parum poſſunt. Videretur tibi initio maxime convenire ala ſeu cohortis equitum præfectura, quo poſſes ex publico gratiam aliquam referre tenuioribus amicis, qui te comitari volent, et aliis tuis clientibus. Cogitandum autem tibi eſſet de legato, ſeu vicario, rei militaris perito, cum hactenus in caſtris non fueris; ſed ex La Noveo poteris parvo tempore addiſcere ea quæ ad tuum munus pertinebunt. Veſter Norriſius eum maximè colit, et nunquam fere ab ejus latere diſcedit, quæ res ei authoritatem parit. Saluta, obſecro, amicos, et ignoſce quod de rebus publicis

jam

jam non ſcribam, ſum enim occupatiſſimus, nec admodum rectè valeo. Mihi nunc eſt excurrendum Coloniam, quo venturus eſt noſter Andreas Paulus, juſſu Illuſtriſſimi Saxoniæ Electoris, ut mecum de quibuſdam rebus conferat; ſed quid illud ſit ego ignoro. Jam dimitto tabellarium ob eam rem ad me miſſum. Huc ſtatim recurram.

Antuerpiæ, 14. die Novembris 1579.

LXXXIII.

VEllem tecum paucis deliberare, an conducat tuis rebus huc venire, ut rei militari des operam; nam ſi vulgo innotuerit, te de ea re deliberare, et tandem judicaveris, conſultius eſſe apud tuos manere, poterunt malevoli iſtam tuam deliberationem calumniari. Pleſſæus noſter ſcripſit ad me Gandavo, ſe nunquam tibi fore authorem, ut jam ex patria diſcedas. Proximis meis literis ſcripſi ad te quid mihi de ea re videretur. Si vel patriæ, vel parentibus, vel iis qui tibi arctiore neceſſitudine ſunt conjuncti, neceſſariam eſſe tuam præſentiam judicas, conſulo ne tuo præſidio eos deſtituas. Si nihil ejuſmodi te iſtic detinet, ego ſane judico, ad eas virtutes, quibus animum excoluiſti, te nihil adjicere poſſe, quod tibi majore ornamento et præſidio eſſe queat, quam rei militaris peritiam; nam judico hominem, illuſtri loco natum, ſine ea non poſſe authoritatem comparare, quæ non facile convelli poſſit. Niſi quis autem à prima juventute in ea ſe exerceat, vix unquam magnos progreſſus facit. Ea apud vos jam fere negligitur; nec hoc miror, cum jam per multos annos altâ pace fruamini, et vulgo homines adjiciant animum ad eas artes quibus in republica, vel apud principes viros, authoritatem et gratiam ſe poſſe ſibi

ſibi comparare ſperant. Optandum quidem eſſet, ut vobis ſit perpetua illa pax et tranquillitas, et ut ſemper ſint in pretio illæ artes, in quibus veſtri homines ſe exercuerunt; ſed quia iſta non perficiuntur votis, bene merentur de patria, qui cogitant, quâ ratione propulſari bellum, aut malis quæ ſecum trahit, occurri poſſit, ſi forte iſta veſtra pax turbetur. Tu de his rebus tecum deliberabis, et pro tua prudentia conſtitues. Spero nos brevi viſuros cataſtrophen iſtius fabulæ, quæ jam apud vos agitur, ita ut non neceſſe habeas tua conſilia ad eam attemperare. Credo Dominum Pleſſæum eo reſpicere. Jam hic deliberatur, de conditionibus pacis quas propoſuerunt ordinibus harum regionum ii, qui juſſu Imperatoris convenerunt Coloniæ. Rejicientur haud dubie illæ conditiones; ſed ii à quibus ſunt propoſitæ, petunt ab ordinibus, ut, ſi eas non probaverint, alias proponant, quæ ſi nihil iniqui contineant, promittunt ſe daturos operam, ut Rex Hiſpaniæ eas accipiat. Difficilis eſt hæc deliberatio, cum non idem ſentiant provinciæ confœderatæ, et præſertim in cauſa religionis. Quædam ſibi nolunt eripi eam libertatem quam armis et ſuo ſanguine ſe ſibi comparaſſe credunt; alias vero diuturni iſtius belli, tantum tædium cœpit, ut quaſlibet conditiones ſint admiſſuræ, modo illud componatur. Commodè accidit, quod La Novæus, cum imperio miſſus in Flandriam, die Lunæ proximâ fuderit malecontentorum copias, et eis eripuerit aliquot arces quas muniverant, ex quibus Flandriam infeſtabant et diripiebant.

Obſidebat La Novæus templum foſsâ et aggere munitum, in quo erant duo ſigna peditum. Quoniam exiguum numerum militum ſecum habebat, malecontenti, quibus eſt id indicatum, conſtituerunt ſuis ſubvenire. Statim ubi nunciatum eſt La Novæo eos ad-

ventare,

ventare, magnâ celeritate progressus ei obviam cum quinque signis peditum et quatuor cohortibus equitum. Venit in conspectum eorum sub initium noctis, eosque, nullâ interjectâ morâ, invasit, et nihil tale metuentes facile profligavit. Cepit trecentos equos bellatores, quibus maxime indigebat; suorum enim equi erant diuturno labore confecti, et pene inutiles redditi. Nox superveniens fuit in causa, ut pauciores ex hostibus sint interfecti. Hæc qualiscunque victoria tantum terrorem incussit malecontentis, ut statim deseruerint plurima loca quæ in illa vicinia muniverant. Jam itaque fere ex tota Flandria pulsi sunt hostes, et La Novæus cum suis copiis progressus est in agrum Insulanum. Quidam ex nobilitate Gallica et Metensi, ex quorum numero est Buyus ille, quem nobiscum in Anglia vidisti, temere irruperunt in Comitatum Burgundiæ, conceptâ spe, de occupandis aliquot oppidis proditione quorundam, cum quibus contulerant consilia; sed ut res erat temere cœpta, ita habuit infelicem successum. Cum autem audivissent, Hispanos et Burgundos magno numero adventare ex Ducatu Lucelburgensi, judicarunt, ante eorum adventum, ex Burgundia sibi esse discedendum. Diviserunt se in tres turmas, quarum una recepit se in Episcopatum Metensem, altera in Montplicartensem Comitatum, quæ est patria nostri Beutterichii, tertia est in Alsatia prope oppidum Benfeld, quod abest quatuor milliaribus ab Argentorato. Sunt qui conentur persuadere Argentoratensibus, istos struere insidias ipsorum urbi; quod non puto esse verum. Accusatur Beutterichius tanquam conscius, vel potius author, consiliorum insanorum istorum hominum; in qua re sibi fieri magnam injuriam ad me scribit. In Lithuania res feliciter succedunt Regi Poloniæ adversus

 Moschum.

Moschum. Expugnavit oppidum Polotzko, quod Moschus ante sedecim annos Polonis eripuerat. Jam obsidet Smolenskum ad Borysthenem. Aiunt Moschum habere quidem instructissimas copias; sed fluviorum inundationibus impeditum, non potuisse suis subvenire. Scriptum est huc Dantisco, Regem Sueciæ occupasse Narvam, oppidum Livoniæ maritimum, ad Sinum Veneticum, in quo fuit emporium satis celebre, ex quo pervenit in potestatem Moschi. Lambertus Danæus, Theologus Genevensis, misit ad me duo exemplaria libri tibi inscripti, quem "Geographiam Poeticam" nominat, quæ ego ante triduum accepi, et jam ad te mitto cum ipsius literis. In suis ad me literis petit, ut à te responsum exigam ad ipsius literas. Legi aliquot ejus opuscula; sed mihi non est de facie notus, nec quicquam commercii mihi cum eo unquam intercessit. Cum essemus Lutreæ, ante menses triginta, dixit mihi Saluardus, eum tunc in animo habuisse inscribere tibi commentarium in alteram ex epistolis Pauli ad Corinthios. Rogavi Saluardum, ut eum dehortaretur, quoniam audiebam in eo commentario ipsum differere de disciplina ecclesiastica, et esse in eam partem propensum, quæ vestræ aulæ non probatur. Vide ut aliquid scribas, quo possim istius hominis voluntati satisfacere. Bene vale.

Antuerpiæ, 21. die Novembris 1579.

Lobetius accusat tuam in scribendo negligentiam. Profecto tu illi viro plurimum debes; nam maximam curam tui fratris suscipit.

LXXXIV.

LXXXIV.

SUperiore menſe venit Coloniam præſtantiſſimus vir, Doct. Andreas Paulus, tui amantiſſimus, eo miſſus ab Illuſtriſſimo Saxoniæ Electore; ut mecum de quibuſdam rebus colloqueretur; quare mihi eo excurrendum fuit. In eo itinere, in quod impendi duos menſes, incidi in magnas difficultates, et præſertim in reditu, cum nec navigare liceret, eo quod Rhenus obductus eſſet glacie; terrâ autem iter facere nemo audet, eo quod omnia itinera ſint infeſta latrociniis Hiſpanorum. Subſtiti Dordraci per dies quindecim, quoniam nec progredi nec regredi poteram. Conſcensâ nave, bis ſum tempeſtatibus rejectus in portum unde ſolveram; tandem tamen difficili et moleſtâ navigatione huc perveni. Redii huc viceſimâ die hujus menſis. Poſtridie mane acceſſi ad Principem, ut eum ſalutarem, et quædam ei indicarem, ac etiam de tuis rebus cum eo colloquerer. Manſi apud ipſum uſque ad occaſum ſolis, eo quod poſtridie hinc eſſet diſceſſurus. Villerius tuas literas tradidit Principi ituro cubitum; qui, cum eas legiſſet, dixit, ſe nihil non tuâ causâ facturum. Jam eſt profectus in Hollandiam, ita ut nunc plura cum ipſo agere non poſſimus. Tu interea cogita de tuis rebus, et ſcribe diligenter quid tuâ causâ nos velis facere. Alençonii adventum in has regiones non eſt quod reformides. Si veniet, vix ante autumnum veniet; tu vero, etiamſi per paucos menſes caſtra ſecutus fueris, magnum tamen ex ea re fructum referes, præſertim ſi Lanoveo factus fueris familiarior; nam cum in hiſtoriarum lectione diligenter ſis verſatus, longe citius quam ii qui earum ſunt ignari, percipies quæ ſit ratio diſciplinæ militaris noſtræ

ætatis. Laudo in eo animi tui magnitudinem, quod liberè Reginam et veſtros proceres moneas, quid ſit ex uſu reipublicæ; ſed tamen videndum eſt, ne tam procul progrediaris, ut ſuſtinendæ invidiæ non ſis par. Senes plerumque ſunt iniqui æſtimatores virtutis juvenum, quoniam eos plus quam ſe ſapere ſibi turpe eſſe putant. Cogita etiam te poſſe deſeri à plerisque eorum qui jam tecum ſentiunt; nam non dubito fore multos qui ſe ad felicius latus navis convertent, ubi animadvertent ſe voluntati Reginæ fruſtra adverſari, aut eam ſuis adverſationibus gravius offendi. Non hæc ſcribo, ut te ab honeſto tuo inſtituto abducam; ſed conſulo, ut te intra eas metas contineas, ut amore reipublicæ, et non cujuſquam odio, aut nimio vincendi ſtudio, contendiſſe videaris; nec tamen deſinas quamdiu ſperabis te aliquid poſſe perficere quod ſit ex uſu veſtræ reipublicæ. Verum ubi animadvertes, tuas adverſationes tibi tantum odium et invidiam conflare, nec ad veſtram rempublicam, nec ad te, nec ad tuos, ullam ex ea re utilitatem redire, conſulo ut cedas neceſſitati, et te ad meliora tempora reſerves; ipſum enim tempus tibi poſtea conſilium et occaſiones bene merendi de republica ſuppeditabit. Revoca in memoriam quid potuerit efficere Regina Maria poſt Regis Edwardi mortem, cum tamen initio admodum paucos ſecum ſentientes haberet, et veſtri homines tunc eſſent in re militari magis exercitati quam nunc ſint. Andegavenſis factio et authoritas hic augetur; cui ſi iſtic pervicacius adverſatus fueris, vix hic et multo minus in Gallia tibi patebit receptus; religio autem arcet te ab Hiſpania et ab Italia. Sola igitur Germania tibi ſupereſſet, in quam te poſſes recipere, ſi tibi ex patria eſſet diſcedendum. Scripſi ad te quid de his nuptiis ſentiam. Sum adhuc in ea ſententia. Cave, obſecro, ne fervor ætatis te longius provehat, et ne

aliquid

aliquid committas quod tibi et tuis sit damnosum. Suspectus est principibus, et præsertim illis in quibus non est magnitudo animi, excelsus animus in subditis, qui sunt illustri loco nati, et præcipue in juvenibus, quos putant facilius impelli posse ad aliquod facinus quam senes, et propterea eos premunt quantum possunt, ac eis suscitant æmulos quos fovent. Si talis mutatio apud vos subsecuta fuerit, ut existimes, tibi non esse honorificum in patria vivere, vel forte à te impetrare non possis ut ibi vivas; nihil, meo judicio, voluntario exilio magis honestum, prætexere potes, quam rei militaris studium, cum sis juvenis et cœlebs, et non solum privatus, sed etiam filiusfamilias. Ignosce, obsecro, quod tecum liberius agam. Hoc est vitium senum, ut aliis dare consilium velint cum sibi ipsis plerumque sumere non possint. Amor etiam et solitudo eodem vitio laborant. Facta est hic magna rerum conversio, interea dum ego abfui; cui, ut existimo, causam præbuit reditus legatorum ordinum, qui actioni de pace institutæ Coloniæ interfuerunt; satis enim animadverterunt, eam actionem institutam fuisse, non ut harum regionum tranquillitati consuleretur, sed ut in iis diffidia fererentur, et qui antea erant concordes, inter se committerentur; quod cum senatui ordinum seu statuum retulissent, existimarunt omnes imminentibus sibi periculis aliâ ratione occurrendum esse quam hactenus sit factum; et cum vobis hanc fabulam otiosè spectantibus, solus Andegavensis suam operam et auxilia ipsis deferat, cœperunt cum eo de suis rebus magis serio quam antea deliberare, eique proposuerunt conditiones, quas si admiserit, constituerunt harum regionum imperium in eum transferre. Rex Hispaniæ jam per multos menses ostentat suam pictam classem, sperans se eâ ratione his nostris, Lusitanis, et vobis, terrorem incutere posse; nec venit ei in mentem in om-

pium oculis versari militem ejus egentissimum, qui, eo quod non numerentur ipsi stipendia, cogitur se rapinis et latrociniis alere; quæ res maxime testatur ipsius Regis inopiam, ac ipsum exosum reddit. Jam est ad urbem Leodiensem miles Hispanicus, à qua dicitur flagitare duorum mensium stipendium; nam cum pars urbis Trajectensis ad Leodienses pertineat, ait æquum esse, ut etiam impensarum quæ in ejus obsidione sunt factæ partem persolvant. Cœperam superiore septimanâ ad te scribere, sed sub tempus quo discessit veredarius, avocatus fui cum Sanct. Aldegondo et Villerio, ita ut non potuerim cœptas literas absolvere. Mitto ad te literas Doct. Andreæ Pauli. Bene vale.

Antuerpiæ, 30. die Januarii 1580.

LXXXV.

Conditiones, de quibus antea ad te scripsi, nondum sunt propositæ Andegavensi; sed tantum conceptæ sunt in senatu ordinum generalium harum provinciarum, ut ipsi proponantur, modo id non improbent provinciæ quarum consensus est adhuc requirendus. Etiamsi ipsi omnia ex sententia succedant, vix tamen poterit huc venire ante autumnum. Movebunt haud dubie Cælum et Acheronta Hispani, antequam patiantur harum regionum imperium sibi à Gallis eripi; et jam quædam turbarum initia ab ipsis in Gallia excitari videntur; in qua re utuntur operâ quorundam procerum, quos dicunt se adjungere illi factioni, quæ "malecontentorum" nominatur. Pindarus dicit facile esse turbare rempublicam, sed solum Deum posse turbatam priori tranquillitati reddere; cujus rei exemplum videmus in Gallia. Si sapitis, detergebunt vos nostræ

calamitates

calamitates à contentionibus, quarum quædam initia apud vos facta esse videntur. Sunt qui existiment, Illustrissimum Principem Joannem Casimirum brevi suscepturum expeditionem in Galliam, de qua re forte ad te scripsit noster Beutterichius; nam significavit mihi se nuper ad te literas dedisse. Si plane decrevisti per hanc æstatem castra sequi, habes optionem; nam nec in Casimirianis, nec hic, deerunt tibi amici. Sed vereor ne patria tuam operam requirat, et tibi hanc optionem adimat. Quod si futurum conjicies, quamprimum id nobis significa, quo te possimus hic excusare; quod eo diligentius faciendum esset, quoniam videreris bis ad eundem lapidem impingere; scis enim quam spem tui adventûs his hominibus antea feceris. Licet autem nullâ tuâ culpâ factum sit, ut id quod promiseras non præstiteris, ea res tamen hæret in memoria hominum, et plerique non discernunt falsas causas à veris, quæ nos ad aliquid agendum induxerunt. Ne existimes me esse minus cupidum tibi inserviendi, quam infimum quemque ex tuis, nec est quod metuas, ne literas tuas cuiquam ostendam. Quæ in iis propalanda erunt, decerpam, ac eis ostendam cum quibus erit mihi agendum; reliqua vero apud me continebo. Si Gallicè ad me scriberes, posses eas minutias, de quibus inter nos interdum erit agendum, commodius exponere. Quoniam audio Doct. Lobetium Argentorato discessisse, sum de tuo fratre longè magis solicitus quam antea fuerim. Oportet sane ei aliter prospicere quam hactenus sit factum. Vereor, ne non tantum profecerit in lingua Germanica, quantum profecisset si ab eo Angli abfuissent. Habet secum Oningum, qui tantum Anglice novit; et post discessum Henrici Wit, migrârunt in ædes Domini Sturmii alii duo Angli. Ex ejus etiam ad me literis conjicio, eum parum in lingua Latina proficere. De præcepto-

re

re qui ei adjungeretur, dudum cogitavi; sed nullus hactenus occurrit qui ad eam rem visus sit mihi idoneus. Jacobus Somerus factus est Syndicus urbis Gandavensis, quæ est ejus patria. Doct. Wackerus videtur brevi ducturus uxorem. Video quidem multos satis doctos; sed in plerisque nihil est judicii aut prudentiæ. Credo me antea ad te scripsisse de filio Argentoratensis Professoris, apud quem vivebat Doct. Lobetius. Is videretur mihi ad id munus maxime idoneus, si esset paulo grandior; nam peritus est linguæ Græcæ, Latinæ, Germanicæ, Gallicæ, et Italicæ, et in philosophia et jurisprudentia bene institutus, nec exiguam habet historiarum cognitionem. Est in eo præterea morum gravitas, et major elegantia quam in Germanis vulgo esse soleat. Posset suâ humanitate et morum facilitate, sibi ita conciliare fratris tui benevolentiam, ut etiam inter ludendum et jocandum multa eum doceret. Ego sane nullum alium reperio quem vobis proponere audeam. Esset fratri adjungendus, non ut præceptor, nec etiam ut famulus, quo posset eum liberius sui officii admonere; quamvis non dubitem, quin semper futurus esset paratus ad quamvis honesta obsequia ipsi præstanda. Tu quid de illo juvene sentias, peto ut mihi scribas. Est et aliud de quo te moneam. Doct. Lobetius, antequam Argentorato discederet, scripsit ad me, se metuere, si Illustrissimus Dux Casimirus expeditionem in Galliam suscipiat, ne tuus frater se ei adjungat. Eam autem suspicionem inde Lobetius concipiebat, quod videret ipsum admodum anxie ex omnibus quærere, quid de ea re haberent. Huic rei mature occurrendum esset, si quid tale in animo haberet. Quid nempe hoc esset aliud, quam ad certum exitium properare? Scribam de ea re ad Beutterichium, ac etiam ad ipsum Illustrissimum Principem Casimirum, si comperero aliquid tale nostrum meditari.

meditari. Consultum mihi videretur, ut jam eum mitteretis Lipsiam; nam facilius ibi addiscet linguam Germanicam quam Argentorati, aberit ab Anglis, et minores sumptus faciet. Discessus Doct. Lobetii est in causa, ut jam minus cupiam eum Argentorati vivere. Hæc essent tempore mercatûs Francofurtensis, qui jam instat, perficienda; saltem oportet de mittenda ei pecunia vos aliquid mature decernere. Nihil hic jam fit quod sit alicujus momenti, ob absentiam Principis Auraici. Archidux Matthias est huc reversus Dordraco. Malecontenti non sunt inter se satis concordes. Quidam censent implorandum esse auxilium Hispanorum. Proceres, quibus ob oculos versatur Egmondani supplicium, ab Hispanis plane abhorrent. Sueci discesserunt ab obsidione Narvæ, suntque eorum duo millia cæsa à Moschis. Moschus dicitur esse cum maximis copiis ad Pleskoviam, cum quibus putatur irrupturus in Livoniam. Bene vale, et rescribe.

Antuerpiæ, 6. Februarii 1580.

LXXXVI.

VEreor, ne nimis crebro ad te scribendo tandem sim tibi molestus. Solicitudo de tuo fratre jam me cogit scribere; nam necesse est, ut ipsi jam plane deserto consulatur; jam enim discessit Argentorato Doct. Lobetius, qui ei loco parentis fuit. Tu ipse nôsti quæ sit conditio eorum qui apud exteras gentes vivunt, nullâ amicorum curâ aut benevolentiâ subnixi, et præsertim in ea ætate in qua est tuus frater. Scripsi ad illustrissimum vestrum parentem, mihi videri consultum, ut, propter multitudinem Anglorum qui confluunt Argentoratum, inde abducatur, et mittatur

Lipsiam,

Lipsiam, ubi à suis studiis minus avocabitur, et linguam Germanicam facilius addiscet, et sibi notitiam illius partis Germaniæ comparabit. Scripsi ad te superioribus meis literis, de juvene, quem ipsi posse adjungi putarem, quod sane feci nequaquam impulsus à Lobetio, cujus literas nudiustertius accepi, in quibus scribit, se de eodem juvene ad te scribere. Laudavit mihi Argentorati Doct. Lobetius ejus mores, ingenium, et eruditionem; et experientiâ tunc didici, rem se ita habere ut ipse mihi dicebat; sed quo minùs eum tuo fratri adjungerem, sola ætas tunc obstitit. Ab eo tempore animadverti tuum fratrem non facile passurum sibi à quoquam præscribi; quare existimavi non esse adjungendum ei morosum aliquem, aut imperiosum, quibus vitiis sunt plerumque obnoxii ii qui in literarum studiis ætatem contriverunt, et nihil præter literas didicerunt; et cum nullum repererim literis, et simul prudentiâ aliquâ, vel morum suavitate, et elegantiâ, instructum, ad istum juvenem recurrendum esse putavi. Quicquid erit, necesse est ut de fratre jam serio cogites; nam scio eum destitui pecuniâ, nec est negligenda occasio mercatûs Francofurtensis, qui jam instat. Si jam vobis non vacat ipsi prospicere, saltem scribite ad me ut id faciam, et ego in ea re cupide vobis obsequar. Nihil autem, vobis inconsultis, in ea re tentare audeo; suspicor vos habere in animo, eum revocare in Angliam, quod sane nollem à vobis fieri. Si eum miseritis Lipsiam, consulo ne quenquam Anglum ipsi adjungatis præter Rolandum. Minoris credo vivet Lipsiæ quam Argentorati. Princeps Auraicus nondum est ad nos reversus. Exorti sunt tumultus in Frisia, qui forte diutius eum illis in locis detinebunt. Fuit arx Levardia, quæ est primaria urbs Frisiæ occidentalis, quam cives occupaverunt, et, ut audio, jam diruunt. Occuparunt

cuparunt et alias vicinarum urbium arces, ex quibus præfectos quos habebant suspectos, et præsidia militum, ejecerunt.

Sunt qui dicant Comitem Rhennebergium, illarum regionum præfectum, non improbare Levardensium factum; alii plane contrarium asserunt, et dicunt hæc ideo fieri à Levardensibus, quia non fidunt ipsi Comiti, qui est ex Lalenia familia, et est plane addictus religioni Pontificiæ. Spero nos intra paucos dies de his rebus habituros certiora; nam varie hic jam narrantur. Qui Nivellam occupaverunt, suis excursionibus impediunt, ne quid commeatûs ex Hannonia convehatur in eas urbes quas Hispani obtinent in Brabantia, quæ est plane devastata; et eo jam redegerunt Mechlinienses, ut petant pacem à Statibus, et promittant se libenter accepturos conditiones quas prius rejecerunt, et ad commune fœdus redituros. Idem cogentur paulo post facere Lovanienses, si Nivella in nostrorum potestate permanserit. Aiunt malecontentos constituisse eam obsidere, et ob eam rem Comitem Lalenium profectum esse ad Principem Parmensem, ut ab eo petat militem et pecuniam. Status parant se ad urbem defendendam, et eo mittunt militem, commeatum, et alias res necessarias ad ferendam obsidionem. Audio Atrebatenses petere à Statibus literas commeatûs, seu salvi conductûs, quibus permittatur ipsis huc mittere legatos, per quos de suis rebus cum ipsis Statibus conferant; vident enim sibi esse impositum ab iis, à quibus sunt persuasi ut ab ipsis Statibus se sejungerent. Vides Principem Auraicum illâ suâ animi constantiâ et moderatione evertere omnia hostium consilia, ac ipsorum conatus eludere. La Novæus est Cameraci. Credo eum ibi expectare militem Gallicum, quem huc adducat. Audio Regi Hispaniæ res non satis succedere in Lusitania, et popu-

lum esse propenso animo in Antonium illum, quem Rex delirus in gratiam Hispani et Pontificis Romani opprimere voluit. Sed existimo vos istic de his rebus certiora habere iis quæ hic habemus. Bene vale.

Antuerpiæ, 13. die Februarii 1580.

LXXXVII.

NOstri mercatores, ituri ad mercatum Francofurtensem, intra unum aut alterum diem hinc discedent. Per eos scribam ad Wechelum, ut ad tuum fratrem pecuniam mittat; nam non dubito, quin nihil ei supersit ex ea pecunia quam ante annum à vobis accepit; et cum Doct. Lobetius Argentorato discesserit, vereor ne nemo illic satis diligentem ejus curam suscipiat. Scio hospitem ejus esse egentissimum, nec posse ei pecuniam credere. Princeps Auraicus nondum ad nos rediit, et propterea nihil hic rerum geritur. Profectus est ad Gueldros, qui nonnihil tumultuantur: nam aiunt monachos et sacerdotes recens pulsos esse Noviomago, quæ est primaria urbs illius regionis, in qua ante annum pauci admodum fuerunt qui puriorem religionem profiterentur; sed eam suâ prudentiâ et animi moderatione plurimum promovit Joannes Comes Nassavius, Principis frater, qui est illius provinciæ præfectus. Nobilitas visa est velle deficere ad Hispanos, sed ejus conatibus urbes persuasæ à Comite Joanne, se opposuerunt, et extrema sunt minatæ iis qui à communi fœdere discederent. Fama est hic ipsos Gueldros suo suffragio approbasse conditiones, quæ in senatu ordinum generalium conceptæ sunt, ut Andegavensi Duci proponantur; quod vix credo esse verum; nam cum ante duos menses per eas regiones iter facerem, visi sunt mihi ab eo consilio plane alieni fere omnes ii cum quibus tunc ego sum collocutus. Si

id

id ab ipsis impetravit Princeps, facile, meo judicio, idem poterit à reliquis provinciis impetrare. Indictus est conventus ordinum Hollandiæ et Zelandiæ Hagam Comitis, cui intererit Princeps Auraicus. Antequam tamen eo veniat, ex Gueldria iturus est Trajectum, et inde Amsterdamum, et Amsterdamo Harlemum. Credo ipsum ad eas urbes ideo accedere, ut eis proponat ea quæ sunt in conventu agenda, et persuadeat antequam suos legatos cum mandatis ad conventum mittant. Etiamsi nusquam tanta sit ejus authoritas quanta apud Hollandos et Zelandos, multi tamen putant ipsum difficilius persuasurum illis hominibus, ut se Andegavensis imperio subjiciant, quam reliquis. Flandri magnâ alacritate conditiones proponendas Andegavensi comprobarunt, et de ea re decretum fecerunt; et ne populus postea dicat se inscio omnia ista esse facta, conditiones, in linguam Flandricam conversos, curarunt typis evulgari.

Quanta hæc est Gandavensium inconstantia? Ante annum acerbis conviciis et famosis libellis nomen et famam Andegavensis proscindebant, et ejus legati, urbe suâ sub noctem cum ignominia pulsi, vitæ insidiati sunt: jam vero omnium primi suo suffragio harum regionum imperium in eum transferunt. Puto Brabantos Flandrorum exemplum secuturos; nam magistratus, et primarii hujus urbis cives, videntur eo inclinare. Quantum autem momenti ad eam rem allatura sit hujus urbis, in quam omnes conjectos habent oculos, authoritas, tu ipse conjicere potes. Post reditum Auraici ex Hollandia, celebrabitur hic conventus omnium provinciarum confœderatarum, in quo de tota hac re decernetur. Malecontentis, qui se propugnatores religionis Catholicæ profitentur, et promiserunt se non deposituros arma antequam has regiones sub impe-

rium Pontificis Romani et Regis Hispaniæ reduxerint, res non satis ex animi sententia succedunt. Nuper cum in Flandriam irrupissent, sacerdotes et monachi cœperunt Brugis solito magis cristas erigere, ob istorum propinquitatem; quod indigne ferens populus, eos omnes urbe expulit. Pulsi sunt etiam nuper populari tumultu ex Frisia Occidentali, ubi non solum dicuntur arces extructæ in urbibus, ad continendum populum in officio, sed etiam omnes eæ quas extra urbes possedit nobilitas, quæ, factâ conspiratione cum Comite Rhennebergio, illarum regionum præfecto, conata est provinciam illam à fœdere Statuum Generalium abducere. Ipsum Comitem Rhennebergium aiunt profugisse Groningam, ubi nescio an sit sui juris. Scripseram ad Dn. Dierum antequam tuas literas acciperem. Scriptum est ad me ex aula Cæsarea, Reginam Elisabetham, Caroli Regis Galliæ viduam, decrevisse se cum aliquot nobilibus virginibus recipere Viennam in Divæ Annæ monasterium, et ibi reliquum vitæ transigere, nec admittere quenquam compellantem eam de conjugio; et sic suâ spe excidet Dux Sabaudiæ. Bene vale.

Antuerpiæ, 27. die Februarii 1580.

LXXXVIII.

DE tuo adventu in has regiones jam liberius scribam, cum habeam cui possim literas meas concedere. Tui populares, exercendo inter se simultates, et sibi mutuo obtrectando, contemptum sibi pepererunt, et harum regionum incolas à se valde abalienaverunt. Sunt impatientes disciplinæ, et contumaces erga suos duces, quæ res odium incolarum auget. Multum etiam decessit ducum existimationi: quare, si

huc

huc venires, omnes ad te confugerent. Sed mallem te habere militem tyronem, quam veteranum diuturnâ licentiâ corruptum, quem etiam ſine invidia, et ſine injuria eorum ſub quibus hactenus militavit, non poſſes recipere. Cavendum tibi maxime exiſtimo, ne videaris velle factionibus authoritatem aliorum convellere, vel tibi comparare; nam id eſſet invidioſum; nec eſt tibi opus ejuſmodi adjumentis, cum virtute et ingenio facile conſequi poſſis, ut longè pluris fias quam reliqui tui populares. Nollem te à quoquam, præterquam à tua virtute, adferre commendationes, ne præmia, quæ virtuti tuæ tribuentur, ejuſmodi commendationibus tribui videantur. Si paucos tecum habueris, poteris inter eos diſciplinam facilius conſtituere: ſed recte facies, ſi antequam ex patria diſcedant, eos præmonueris, te nolle eorum causâ dedecus et infamiam ſubire, et ne ægre ferant, ſi eos dimiſeris, qui contra officium facient. Ut nihil diſſimulem, metuo, ne ex virtutibus quæ in duce requiruntur, ſeveritas ſola tibi deſit, cum naturâ et voluntate ſis ad humanitatem plane compoſitus; et ſane non poteſt ſine ſeveritate miles in officio contineri. Quoniam plane abiit in deſuetudinem, noſtra bella latrocinia potius nominari debent quam bella, cum noſtri milites plus damni inferant iis à quibus conducuntur, quam eorum hoſtibus. Miror quam ob cauſam Andegavenſis Dux iſtud odium adverſus te conceperit. Si ideo tantum odit te, quia in patria es ei adverſatus, facile tibi reconciliabitur; nec neceſſe eſt ut aliud dicas, quam te non id feciſſe ejus odio, ſed quia ex re patriæ eſſe judicaſti. Cum tantæ dignitatis hominibus non eſt utile, nec honorificum, exercere ſimultates. Si ſint amici patriæ tuæ, colendi ſunt; ſi inimici, adverſandum eſt eis. Forte ex calumniis quæ ſunt tibi ignotæ, ortum eſt illud odium; quod ſi ita eſt, poſſet huic malo mede-

ri

ri Princeps Auraicus, et rescifcere quænam sint calumniæ illæ, si alter huc venerit. Habebis hic et alios amicos, qui aliquid forte in ea re præstare poterunt. Non ideo autem militabis, ut ipsi officium præstes, sed ut in re militari te exerceas, et has provincias quæ sunt fœdere et amicitiâ conjunctæ patriæ tuæ juves, adversus illos qui earum libertatem opprimere, et idololatriam in iis restituere, ac pios omnes opprimere, conantur. Maximum autem fructum hinc tecum reportares, si exacte disceres quis sit status harum regionum, quem vestri homines non satis intellexisse videntur, et propterea in multis est ab ipsis peccatum. Quidam amicus nuper ad me ita scribebat: "Postquam de rebus Belgicis hic desperare cœpimus, &c." Ego vero ei respondi, me non judicare Belgarum salutem in vestra spe consistere, aut eorum exitium in vestra desperatione. Meministi vaticinii mei Viennensis. Si patriæ consultum voluissetis, oportuit vos eo intendere animum, et vestras actiones dirigere; nam illa fuit unica ratio ita consulendi his provinciis, ut inde magna utilitas ad vos rediret. Si id nempe fiat, quod jam vix fieri poterit, quomodocunque res cadant, habebitis quod metuatis. Multa possent dici de hac re, quæ non est consultum literis committere. Utinam posses huc privatus venire, nam vix puto te venturum militatum, ea forte dicerem quæ essent in causa, ut te suscepti itineris nequaquam pœniteret. Gaudeo Henricum Wit ad tuum fratrem mitti, et vos decrevisse ut Argentorato migret Lipsiam. Poterit per æstatem videre insignes illas urbes Saxoniæ; et si Rex Daniæ sit Haffniæ, eo navigare; nam abest tantum unius diei navigatione à Rostokio. Habeo in aula Danica amicum, virum præstantissimum, ad quem de eo scribam, qui haud dubie exhibebit ipsi omnem humanitatem, si eo venerit. Est vir nobilis, qui supra trigin-

ta annos functus est legatione in ea aula, nomine Regis Galliæ. Nomen ejus Carolus de Danzay. Metuo ne tibi tandem sit ingratum, quod me tuis et fratris tui rebus tam curiose immisceam. Id mihi extorquet immoderatus meus erga te amor; nam reliqui negligentiam in me reprehendunt. Habeo fratrem unicum, cui nunquam respondeo, quandocunque consilium in suis rebus à me petit. Parum refert, si me inepte facere judicaveris, modo tibi non sim molestus. Dominus Junius, qui jam est hujus urbis consul, te officiose salutat. Scribam postea de rebus publicis. Bene vale.

Antuerpiæ, 12. die Martii 1580.

LXXXIX.

SCripsi antea, incolas Frisiæ Occidentalis corripuisse arma, cum sensissent Comitem Rhennebergium, suum præfectum, conferre consilia cum Principe Parmensi, et cum iis quos "malecontentos" vulgo nominamus; ipsum autem Rhennebergium profugisse Groningam. Visus est Princeps Auraicus credere literis Rhennebergii, per quas apud ipsum conquestus est de injuria sibi facta à Frisiis: nam cum memor esset Princeps, Rhennebergium suo beneficio adeptum esse præfecturam Frisiæ et Transisalanæ provinciæ, contra voluntatem Statuum, qui eam Comiti Bossuvio contulerant; non poterat sibi persuadere, eum fore ab humanitate adeo alienum, ut tanti beneficii memoriam abjiceret, et aliquid in ipsius perniciem moliretur. Itaque expostulavit cum Frisiis, eo quod tam temere sinistram opinionem de suo præfecto concepissent, et adversus ipsum insurrexissent. Profectus est autem ad loca vicina Transisalanæ provinciæ, et Rhennebergium, qui scripserat

ſcripſerat ſe paratum eſſe reddere rationem eorum de quibus accuſabatur, ad colloquium evocavit, quo poſſent unâ deliberare, quâ ratione tumultus in Friſia exorti componi poſſint. Significavit Rhennebergius ſe id maxime expetere, et petiit ſibi indicari diem et locum, ad quem ipſi eſſet veniendum. Dictus eſt colloquio dies tertius hujus menſis, et placuit ut Elburgi convenirent. Elburgum autem eſt oppidum Gueldriæ, ad ſinum, quem "mare Auſtrale" vulgo nominant, plane vicinum Campis urbi, Tranſiſalanæ provinciæ, ad oſtium Iſalæ ſitæ. Verum eo ipſo die qui dictus erat colloquio, Rhennebergius, ſtipatus iis quos in ſuam ſententiam perduxerat, horâ tertiâ matutinâ prodiit armatus in publicum, ut eos qui ipſi adverſabantur Groningæ opprimeret. Alii, audito tumultu, corripuerunt arma, et conſule urbis ſe præbente eis ducem, Rhennebergium exceperunt. Satis diu inter ipſos eſt pugnatum, verum Rhennebergiani tandem ſuperiores evaſerunt. Cecidit in pugna, cum aliquot primariis civibus, conſul, dux eorum qui Rhennebergio adverſabantur, quem dicunt fuiſſe virum præſtantem. Capti ſunt à victoribus ad centum et quinquaginta; reliqui, reſeratâ portâ urbis, fugæ ſaluti conſuluerunt. Hi qui remanſerunt in urbe, ſunt ejuſmodi, ut alii ſibi ab ipſis nihil eſſe metuendum putent. Ubi nunciatum eſt Auraico quid accidiſſet Groningæ, is ſe ſtatim contulit in Tranſiſalanam provinciam, quamvis amici ei ſuaderent, ne ſe committeret hominibus qui magis impetu quam ratione feruntur; verum metuebat, ſi non eo proficiſceretur, ne in tota ea provincia idem accideret quod Groningæ. Profectus Daventriam, quæ eſt urbs illius provinciæ primaria, ordines eo evocavit, et tantum apud ipſos perfecit, ut Rhennebergius jam nullos hoſtes magis infenſos habeat. Friſii Occidentales, ubi audiverunt Groningæ captos eſſe ad centum et

quinquaginta

quinquaginta cives, ex eorum numero qui puriorem religionem profitentur, conjecerunt in vincula quingentos aut sexcentos Pontificios, et significaverunt Rhennebergio et Groningensibus, se eodem modo cum istis acturos quo ipsi cum iis quos captivos detinent. Auraicus mandavit Bartholomæo Leuo, viro militari, qui copiis Frisiorum per multos annos præfuit, ut daret operam, ne quid rerum ad bellum necessariarum conveheretur Groningam ; quod non solum ab eo factum est, sed etiam occupavit arces et oppidula urbi vicina, et est jam cum suis copiis ad ipsam urbem ; quæ cum sit populosa, nec dubium sit, quin multi ex civibus nequaquam id probent quod paucorum conspiratione est factum; eam non diu fore quietam speramus ; cum præsertim nec à Parmensi, nec à malecontentis, à quibus longissime abest, auxilium sperare possit, et habitura sit inimicas et infestas vicinas omnes provincias, si bellum protrahatur. Statim ubi resciverunt Trajectenses, quo modo cum iis qui puriorem religionem profitentur actum esset Groningæ, expulerunt omnes sacerdotes et monachos, qui ut in urbe ampla, et quæ fuit antiqua sedes potentis Episcopatûs, fuerunt apud ipsos magno numero. Idem factum est in aliis urbibus quæ ad Episcopatum pertinent. De Cortraco, à malecontentis occupato, non scribo, quia non dubito, quin id antea audiveris, cum ante multos dies acciderit. Fecerunt in ea re magnam jacturam Flandri ; nam est urbs munita, et loco valde commodo sita, nec est exigua præda, quam ibi consecuti sunt malecontenti. Ab eo tempore sunt aliquot arces utrinque captæ ; sed tamen plures cepit quam quisquam alius præfectus Tornacensis, qui aliquot signa Anglorum secum habet. La Novæus reversus est ex Gallia. Est exceptus valde honorifice Brugis, et postea Gandavi. Discessit nudiustertius Gandavo noctu cum septen-

 decim

decim signis peditum, et trecentis aut quadringentis equitibus; sed quid sit aggressus, nondum audivimus. Videtur per æstatem habiturus non contemnendas copias; nam audio Auraicum persuasisse equitibus Germanis, qui totum annum per ignaviam transegerunt in Gueldria, ut ad ipsum eant. Sunt ad duo millia, quibus præest Philippus Comes ab Hooloch. Venient etiam ad eum ex provinciis illis Transrhenanis triginta aut quadraginta signa eorum militum, qui toto hoc bello Auraico militaverunt. Præterea educentur ex præsidiis Angli, Scoti, et Galli, ut se cum eo conjungant. Neufuillius, tribunus legionis, seu regiminis, cui antea præfuit Dominus de Mouy, relictus est in Gallia à La Novæo, credo ut conscribat ad trecentos aut quadringentos equites, et mille aut paulo plures pedites, ad supplementum cohortium Gallicarum quæ hic sunt, quas esse valde exhaustas audio. Habebit præterea La Novæus eum militem qui jam est in Flandria; et ita existimo, eum habiturum ad tria millia equitum, et sex aut septem millia peditum, quæ erunt copiæ non contemnendæ. Delibera tecum mature, quid tibi sit agendum; sed cave, ne dicas te huc venturum, nisi id facere certo constitueris; nam si dicas te venturum, et aliquid interveniat postea quod te remoretur, habebunt quidem te excusatum prudentiores, qui sciunt talia sæpe evenire, sed vulgus forte aliter de te judicabit. Si posses huc excurrere antequam provinciam aliquam in te reciperes, illud, meo judicio, esset optimum; nam posses melius judicare quam nos, quid tibi conducat; nec quicquam tibi præsenti denegaretur, et forte daretur tibi occasio navandi bonam operam patriæ. Tu jam illud nomen et illam authoritatem in vestra aula es consecutus, ut ad eam conservandam necesse sit te non parum impendere; et vereor ne in te evehendo ad honores et dignitates, ratio tuæ ætatis, potius quam

tuæ virtutis, habeatur. Consultius mihi videretur, te per æstatem hic impendere id, quod alias tibi in patria impendendum erit; nam eâ ratione tibi faciliorem viam ad dignitates parares, et animum variarum rerum cognitione instrueres, et amicitias contraheres, quæ tibi in rebus dubiis olim usui esse possent. Ii sane, si unquam antea, mihi jam sapere videntur, qui dant operam ut se iis bonis instruant quæ à fortuna ipsis eripi non possunt: nam ita mihi ad ruinam propendere videntur res orbis Christiani, ut nihil sit tam miserum quod non metuendum esse putem, cum in principibus nihil videam virtutis aut indolis quæ imminenti illi ruinæ objici possit. Etiamsi Andegavensi Duci ex animi sententia omnia successerint, vix tamen poterit huc venire ante autumnum; nam ut proponantur ei conditiones, sive illæ ipsæ quas vidisti, sive aliæ, decernendum erit in conventu ordinum generalium provinciarum, quæ in vetere fœdere permanent; qui conventus celebrari non poterit ante festum Resurrectionis Dominicæ, cum nondum ad nos redierit Auraicus, nec adhuc sciamus quando sit reversurus. Postea instruenda erit splendida aliqua legatio, quæ ei conditiones proponat, et de tota re cum eo transigat; quod in Aula Gallica fieri oportebit; nam necesse erit, ut Regis consensus interveniat. Ego, ut nihil apud te dissimulem, suspicor Andegavensem non facile à fratre impetraturum ea quæ isti ab ipso petent; nam Hispanus et Pontifex Romanus habent in aula Gallica validas factiones, quæ nihil intentatum relinquent, quo possint rebus Andegavensis impedimentum aliquod objicere; nec in ea re ulli pecuniæ parcet Hispanus. Mutatio religionis quæ fit in his regionibus, res etiam Andegavensis reddet difficiliores. Ad hæc accedit, quod Rex sit amans otii, et non satis instructus rebus ad bellum necessariis. Ordines vero

harum regionum, qui judicabunt ſe Gallis maximum beneficium deferre, ſi videant eos non eâ alacritate et cupiditate, quâ deceret, illud amplecti, facile mutabunt animum, et alia conſilia ſibi ineunda eſſe judicabunt. Sed obſecro, ut apud te hæc contineas; nam de his rebus ad te ſolum ſcribo. Bene vale.

Antuerpiæ, 17. die Martii 1580.

XC.

Ex hiſce cognoſces quis hic ſit rerum ſtatus. Princeps Auraicus nondum ad nos rediit. Hollandia eum adhuc detinet. Inde navigaturus eſt in Zelandiam. Poſt ejus ad nos reditum, celebrabitur hic confœderatarum provinciarum conventus; in quo de ſumma rerum deliberabitur, videlicet, an ſint proponendæ Andegavenſi conditiones quas vidiſti. Si decernetur proponendas eſſe, inſtruenda erit ſplendida legatio, quæ ad eum mittatur, ut cum eo, et cum Rege, ejus fratre, de toto hoc negotio tranſigat; ad quæ perficienda longo tempore opus erit. Sed de iis antea. Superioribus diebus Egmondanus Comes venit Ninovam, quæ ad ipſum pertinet, et abeſt à Gandavo ſeptem aut octo milliaribus, et à Bruxellis quinque. Venerat eo ſpe occupandi Bruxellas proditione quorundam quos ſecum ſentientes in urbe habebat. La Novæus tunc temporis erat Gandavi; qui ubi reſcivit, Egmondanum veniſſe Ninovam ſub initium noctis, quæ ſecuta eſt diem 29. ſuperioris menſis, eduxit Gandavo militem, quem tunc ad manum habuit, et, adjunctis ſibi in itinere aliquot aliis, contendit Ninovam quantâ potuit celeritate, ſperans ſe eo ante auroram perventurum; quod tamen non eſt factum. Licet autem jam eſſet ſol exortus cum eo pervenit, exiſtimavit

ſtimavit ſibi fore parum honorificum, nullâ re tentatâ, inde diſcedere; quare conſtituit vi aggredi id quod inſidiis perficere prius in animo habuerat. Audiverat oppidum ab una parte humili aggere et foſsâ plenâ aquâ cinctum eſſe, interque foſſam et aggerem erectam eſſe ſepem ex palis quernis. Eam partem judicabant munitiſſimam qui erant in oppido, et à nulla ſibi minus metuebant. Significatum erat La Novæo, aquam quæ erat in foſſa, tres tantum pedes altam eſſe; quare exiſtimavit, oppugnationem oppidi ab ea parte tentandam eſſe. Ut vero inde amoveret militem qui erat in oppido, imperavit aliquot ex ſuis, ut oppidum à parte huic adverſa magno clamore invaderent; quod cum ab ipſis eſſet factum, et eo accurrerent præſidiarii milites, ut recte conjecerat La Novæus, juſſit eos quos ſecum retinuerat, in foſſam deſcendere, et haſtis unco ferreo munitis, quas ad eum uſum paratas habebat, ſepem ex palis quernis diruere, et, eâ dirutâ, in oppidum irrumpere; quod eſt ab ipſis impigre factum, et ita oppido ſunt potiti. Captus eſt ibi Egmondanus Comes, cum aliquot ex nobilitate Atrebatenſi qui eum comitati erant; quos omnes perductos eſſe Gandavum aiunt. Credo unâ cum Egmondano fuiſſe ejus conjugem, quam proximâ hieme duxit. An in oppugnatione oppidi multi ex militibus La Novæi ceciderint, nondum audivi. Capti ſunt Bruxellis aliquot ex iis qui cum Egmondano conſpiraverant, et ut ſocios conjurationis prodant cum ipſis agitur. Inſtituta etiam fuerat Viluordæ proditio, cujus aliquot conſcii ante non multos dies conjecti fuerunt in vincula. La Novæus juſſus eſt ab ordinibus harum provinciarum conſcribere cohortem equitum cataphractorum, cui ipſe præſit. Etiamſi promiſerint ordines, ſe equiti ab eo conſcripto ſtipendia bonâ fide ſoluturos, ejuſmodi promiſſioni tam parum fidei adhibet, ut noluerit militem

ex

ex Gallia evocare, ne conqueratur se ab eo deceptum, si non suo tempore ipsi numerentur stipendia; sed eum hic colligit, et antequam admittat, significat ei quam sit hic difficile stipendiorum solutionem impetrare. Hispaniæ Regi non succedunt res ex animi sententia in Lusitania. Nobilitas est ei addictior, sed populus ab eo plane abhorret. Constituit autem armis persequi jus illud quod dicit se ad regnum habere; et Ducem Albanum præfecit copiis quas jam paratas habet. Exterorum mercatorum nautas et naves retinet, ut iis in bello utatur, quod etiam fieri dicunt à Lusitanis. Hinc à mercatoribus vehuntur arma in Lusitaniam magnâ copiâ. Sed de iis rebus existimo vos istic certiora habere quam hic habeamus, et propterea supervacaneum esse de iis scribere. Nata est, ut aiunt, recens filia Regi Hispaniæ. Quidam ex Gallia scribunt, Rupellenses cepisse navem Hispanicam, quæ multum vehebat pecuniæ, et palam fateri se ut eam caperent habuisse mandatum à Duce Andegavensi. Si quid voles nos hic tuâ causâ facere, mone nos mature. Bene vale.

Antuerpiæ, 2. die Aprilis 1580.

XCI.

QUoniam de tuo adventu in has regiones sæpius inter nos contulimus, scribam ad te libere quid jam consilii iniverim, vel potius in qua re alienæ voluntati mihi sit obsequendum. Petierunt à me Auraicus Princeps et illustrissima ejus uxor, ut curam susciperem procurandi in Gallia quasdam privatas ipsorum res, et eo me conferrem, cum oratoribus qui jam à Flandris ad Andegavensem mittuntur, quo tutior sim adversus pericula quibus obnoxii sunt ii qui jam per

Galliam

Galliam iter faciunt: nam bella civilia ibi recrudescere non est dubium. Ego me huc contuli, ut quiete, et consuetudine bonorum virorum, ac etiam fructu nostræ amicitiæ, ex propinquo fruerer; et jam sum ob ætatem minus patiens laborum qui in longinquis itineribus sunt necessario perferendi, nec ignoro quæ mihi subeunda sint pericula; non tamen volui meam operam denegare viro, quem omnium quos ego novi sapientissimum judico, et cujus summam erga me humanitatem sæpius experior. Nihil mihi gravius est, quod hinc mihi sit discedendum sub id tempus quo te huc venturum speravi; nam audio illustrem tuam sororem feliciter enixam pulchro filiolo beasse maritum, et vos omnes qui ipsi propinquâ necessitudine estis conjuncti. Gaudeo ipsam periculo, et vòs anxietate, esse liberatos, et gratulor vobis eam lætitiam quâ vos jam esse perfusos non dubito. Ejus sane lætitiæ pars aliqua ad me pervenit; nam ejus eximia virtus, et liberalitas erga me ignotum, fuerunt in causa, ut de ea non parum essem solicitus, antequam nuntium de felice ejus partu ad me adferretur. Sed jam ad illud iter meum redeo, in quod, ut existimo, ad duos menses impendam. Si huc interea veneris, tibi parata erit benevolentia Principis Auraici, La Novæi, et Villerii, cum quibus de te diligenter egi. Villerii consilio in tuis rebus uti poteris. Nullus est qui plus possit apud Principem. Bene meo judicio tibi consules, si in has regiones veneris, etiamsi per duos aut tres menses tantum hic manseris. Nihil hic fere geritur dignum quod scribatur. Vestri Angli, expugnatâ Mechliniâ, in uno saltu, ut loquitur Erasmus, ceperunt duos lepores, gloriam et pecuniam. Plus quidem gloriæ consecuti fuissent, si se moderatius gessissent, sed forte minus pecuniæ. Milites ubique tumultuantur ob non soluta stipendia; nec melior est in ea re conditio adversariorum quam nostra.

ſtra. Miles Hiſpanicus ſubſiſtit in Lotharingia, et negat ſe ulterius progreſſurum, antequam debita ipſi ſtipendia perſolvantur. Germani eandem ob cauſam tumultuantur in Ducatu Lucelburgenſi. Malecontenti credebant Principem Parmenſem, venientem ad Montes Hannoniæ, ſecum adferre pecuniam, quâ ipſis numerarentur ſtipendia; poſtquam autem animadverterunt, ſibi ab eo verba tantum dari, cœperunt Hanno-niam hoſtili more deprædari. Aiunt matrem ejus redire ex Italia, ut his regionibus præſit, ſicut antea præfuit. Ego miror Hiſpanos exiſtimare mulierem illam pacaturam has provincias, quas in pace retinere non potuit, cum eſſent pacatæ. Jacta eſt alea, nec unquam Hiſpanis reconciliabuntur hæ provinciæ; nunquam enim fidem iis habebunt, quotquot religionem diverſam à Pontificia profitentur: eorum autem arbitrio omnia hic adminiſtrantur. Indictus eſt huc conventus omnium provinciarum, in quo de ſumma rerum deliberabitur; hoc eſt, an ab Hiſpano ad alium transferendum ſit harum regionum imperium. Bene vale, et ignoſce brevitati mearum literarum, ſum enim occupatiſſimus, ut ſolet accidere iis qui ſe parant ad iter.

Antuerpiæ, 6. die Maii 1580.

XCII.

DIſceſſurus Antuerpiâ, dedi ad te literas, quas tibi redditas eſſe ſpero. Poſt meum diſceſſum allatæ ſunt Antuerpiam literæ generoſi tui fratris et Beutterichii ad me, quas amici mei huc ad me miſerunt. Beutterichius ſcribit, fratrem tuum plurimum profeciſſe in lingua Germanica. Literæ tui fratris ante plu-

res

res dies erant ſcriptæ. Significabat ſe eſſe accinctum ad iter quod Lipſiam ſuſcepturus erat, quo eum jam perveniſſe exiſtimo.

Adjunxerat ſibi adoleſcentem Argentoratenſem, quem Doct. Lobetius et ego tibi commendavimus. Incidi hic in Doct. Lobetium, qui mihi dixit, ſe ad te ſcripſiſſe, ſibi videri æquum, ut adoleſcenti dentur annui quadraginta coronati pro præmio laborum ſuorum, quo poſſit ſibi veſtes et alias res neceſſarias coemere, et petiit ut meam de ea re ſententiam ad te ſcriberem. Id non eſſe iniquum exiſtimo; nam exiſtimo te vix habere miniſtrum, in cujus veſtes non tantundem quotannis impendas. Spero illius adoleſcentis conſuetudinem fore tuo fratri utilem; plurimum enim valet ingenio, et magnos progreſſus in optimarum diſciplinarum ſtudiis fecit, et eſt in eo quædam morum facilitas et elegantia, quâ ſibi eorum, cum quibus vivit, benevolentiam facile conciliare poteſt. Quid infortunii La Novæo acciderit, puto vos dudum audiviſſe. Doleo vicem præſtantiſſimi viri, ac etiam eorum quos ſuâ virtute adverſus hoſtium injurias tuebatur, quibus difficile erit reperire, quem ei ſufficiant. Iter à me ſuſceptum mihi parum feliciter hactenus ſucceſſit. Rheda quâ huc vehebar, everſa eſt non procul ab hac urbe. Decidit in faciem meam gladius ejus qui mihi aſſidebat, et me in gena dextra ita vulneravit, ut ex vulnere plurimum ſanguinis effluxerit. Quoniam neceſſe fuit obligare vulnus, et quia non cupivi multis innoteſcere, non prodii in publicum hoc biduo quo hic fui. De rebus publicis nihil aliud audivi, quam quod Rex det operam, ut excitatum incendium belli civilis reſtinguatur. Aiunt fratrem Regis ab ipſo Rege conſtitutum eſſe arbitrum controverſiarum quæ huic malo initium dederunt. Vix tantum

otii mihi concesserunt crebræ amicorum interpellationes, quantum satis fuit ad hæc raptim ad te scribenda. Bene vale.

Lutetiæ, 22. die Maii 1580.

XCIII.

NON infeliciter iter meum Gallicum absolvisse visus fuissem, nisi me in reditu vehemens febris corripuisset, quæ me valde excruciavit, et omnes corporis vires plane labefactavit. Convenimus in Turonibus Ducem Andegavensem, à quo fuimus comiter excepti. Sæpius et de variis rebus sum cum eo collocutus; et, si licet ex ejus sermonibus de eo judicare, visus est mihi ingenio potius propenso ad humanitatem, quam ad superbiam, aut crudelitatem. Videbatur velle se constituere arbitrum controversiæ ortæ inter Regem fratrem et Navarrenum; nec videbatur Rex abhorrere à pace, nisi Navarrenus, interea dum de ea agitur, Cadurcorum urbem occupasset, quam, meo judicio, Regi eam repetenti non facile restituet; est enim urbs ampla, et loco valde opportuno sita. Necessaria tamen erit pax Andegavensi, si harum regionum imperium ipsi deferetur; nam Galliâ ardente bello civili, non possunt Belgæ auxilia quæ sunt ipsis necessaria inde sperare. Ex quo huc sum reversus, indictus est aliquoties conventus omnium ordinum hujus urbis. In iis conventibus acriter, ac etiam contentiose, disceptatum est de rebus Andegavensis. Plerique hujus urbis cives transferri ad Gallos harum regionum imperium, nequaquam consultum esse existimant, et ab ea re abhorrere videntur. Princeps Auraicus conatur ipsis persuadere, id esse plane necessarium; et propterea ad eorum conventus aliquoties accessit. Intra paucos dies quid de ea re futurum sit videbimus. Auraicus cogi-

ur

tur se adjungere Gallis, quia nulla spes auxilii ipsi sit aliunde: Rex autem Hispaniæ nullas jam pacis conditiones proponit, nec vult in causa religionis quicquam cedere; quare videtur obfirmato animo in harum regionum exitium conspirasse. Cum vero summæ rerum hic præsint ii qui puriorem religionem profitentur, malunt mutare dominum quam in gratiam Hispanorum perire. Vos autem estis harum rerum otiosi spectatores, perinde ac si ad vos nihil pertinerent. Principi Condæo summam humanitatem hic exhibuit Auraicus. Jam reversus est in Germaniam, cum tribus aut quatuor itineris comitibus. Doleo vicem miseri et generosi principis, quem adversariorum iniquitas cogit à patria exulare, et inopem per loca vagari, in quibus sunt qui ejus vitæ insidientur. Rex Hispaniæ dicitur in Lusitaniam irrupisse cum viginti armatorum millibus, et quasdam urbes occupasse. Ejus classis solvit Gadibus 25. die superioris mensis, ut referunt mercatores qui inde advenerunt. Aiunt eum in Cantabris aliam classem instruere. Vereor ne Lusitani opprimantur; nam expeditio in qua Rex ipsorum periit, satis testatur quam imbecillæ sint ipsorum vires. Audio ipsos præfecisse suo equitatui Afrum Mahometanum, qui fuit dux copiarum Regis, quem in regnum Fessanum restituere voluerunt. Mitto ad te literas fratris, quæ mihi nudiustertius hic fuerunt redditæ. Scribit se sumpsisse mutuo Norimbergæ ducentos florenos. Consulueram, ut proficiscentes Argentorato Lipsiam, facerent iter Francofurto, quæ est brevissima et tutissima via; et promiseram me missurum ad Wechelum commendatitias literas ad amicos quos habeo Lipsiæ, quas ipsis esset traditurus; verum profecti sunt Norimbergam; nec Wechelum, ad quem literas meas ipsis tradendas miseram, de suo itinere admonuerunt. Ita factum est, ut Wechelus, ignarus quo-

nam ipsi pervenissent, literas meas apud se retinuerit; ipsi vero ignoti Lipsiam pervenerint. In aliis tamen literis eos Doct. Andreæ Paulo commendavi; sed tunc absuit à Misnia. Frater tuus ad me scripsit, sed breviter. Credo ipsos de suis rebus ad te diligentius scribere. Intra paucos dies Londino discedent mercatores, qui profecturi sunt Francofurtum. Obsecro, ut mihi scribas quid me tui fratris causâ facere velis. Scribunt ad me amici eum expedite loqui Germanice, quod mihi est valde gratum. Existimo consultum fore, ut proximo vere mittatur Lutetiam, si res in Gallia tranquillæ fuerunt. Bene et feliciter vale. Plura scribam ubi melius habuero.

Antuerpiæ, 24. die Julii 1580.

XCIV.

QUI tibi has meas literas reddet, vir est præclare doctus, et variarum linguarum cognitione excultus, sed cui suarum facultatum usum ademerunt infelicia hæc bella; quorum dum finem per multos annos frustra expectat, ut suorum prædiorum proventibus tandem frui possit, absumpsit quicquid antea comparserat, et quicquid ab amicis sine ipsorum molestia corradere potuit. Jam vero, cum horum malorum finem nullum prospiciat, ac de recuperandis suis facultatibus pene desperet, constituit vestram beatam Angliam tanquam domicilium quietis et humanitatis adire, ut videat, an navando operam Serenissimæ Reginæ, vel alicui ex vestris proceribus, tantisper apud vos consistere possit, donec hic spes aliqua pacis et tranquillitatis affulgeat. Quoniam autem, ex multorum sermonibus est ipsi nota tua virtus, et humanitas, et scit te à me coli, et me à te diligi, si ipsum tibi commendarem, id sibi profuturum existimavit. Eum itaque tibi

commendo, et peto, ut eum tuâ commendatione juves apud eos quibus ejus eruditionem et induſtriam uſui eſſe poſſe exiſtimabis, quo poſſit adverſus fortunæ iniquitatem ſubſiſtere, donec felicior aura hic aſpiret. Bene vale.

Antuerpiæ, 3. die Auguſti 1580.

XCV.

TUÆ erga me benevolentiæ non levem fructum in eo percipio, quod ex iis quos tibi tuâ virtute devinxiſti, nullus fere hic ſit, qui non ideo mecum amicitiam contrahere cupiverit, quia me tibi carum eſſe ſciret. Quotquot autem ſunt, mirantur te diuturno iſto receſſu delectari, quem licet facile credant jucundiſſimum tibi reddi conſuetudine eorum qui tibi ſunt cariſſimi, an tamen tuæ dignitati conveniat, tandiu iſtic deliteſcere, tibi diligentius perpendendum eſſe exiſtimant. Metuunt, ne ii quibus minus nota eſt animi tui conſtantia, ſuſpicentur cepiſſe te tædium laborioſæ illius vitæ, qua ad virtutem contenditur, quam tanto ſtudio antea colueris. Verentur etiam, ne diuturni receſsûs ſuavitas acres illos tuos impetus, ad capeſſendum res præclaras, remiſſiores reddat, et amor otii, quod antea contempſiſti, in animum tuum ſenſim irrepat. Sæpius itaque à me petierunt, ut de ea re ad te ſcriberem; quod me facturum, hactenus ſemper negaveram, ac dixeram, mihi perſpectam eſſe animi tui conſtantiam, et non eſſe, quod metuant, ne otio ejus vis et acrimonia emolliatur; quod ſi quas falſas ſuſpiciones de te vulgus hominum temere conciperet, te poſſe eas poſtea facile eluere. Etiamſi hæc et alia ejuſmodi ſæpius ipſis reſponderim, ac etiam me mirari quod ipſi ad te non ſcriberent, ſi id tantopere neceſſa-

rium

rium esse judicarent, non tamen destiterunt urgere, ut scriberem, et ad ea quæ ego adferebam, responderunt, meas literas plus ponderis quam suas apud te habituras. Passus sum tandem, non quidem mihi persuaderi, sed à me extorqueri, ut in gratiam ipsorum ineptirem; nam scio nihil à me adferri posse ad te persuadendum, quod non antea tibi in mentem venerit. Cum una viveremus, ita admiratus sum in te adhuc adolescente ingenii acumen, judicii gravitatem, et excelsum ac ad virtutem propensum animum, ut non dubitaverim, si te Deus diu superstitem esse vellet, patriæ tuæ in rebus dubiis non parum præsidii in tua virtute repositum fore; cum præsertim viderem, ad præclaras istas tuas animi dotes accedere natalium splendorem, formæ dignitatem, magnarum opum spem, necessariorum tuorum in vestra republica authoritatem et potentiam, et reliqua quæ fortunæ bona vulgo nominantur. Solebas interdum dicere, te ab aulæ strepitu et illecebris naturâ plane abhorrere, et tibi in patriam reverso, nihil fore jucundius quam in liberali otio cum amicis vitam transigere, si quando id tibi concederetur. Verebar quidem, ne id à te serio diceretur, cum modestiam tuam considerarem, et quam alienus esses ab omni ambitione; sed judicabam, etiamsi id tunc in animo haberes, te tamen cum ætate mutaturum sententiam, nec si in ea perseverares, passuram patriam, se defraudari tuæ virtutis fructu, quem sibi jure vendicare posset. Reversus in patriam, istis præclaris dotibus ornatus, et majore rerum cognitione instructus, quam tua ætas ferre videretur, in tui admirationem omnes rapuisti; quotquot autem ex vestra nobilitate ab ingenii liberalitate commendabantur, amicitiam tuam certatim expetere cœperunt. Accessit ad hæc Serenissimæ Reginæ erga te benevolentia, quæ, ut te ad virtutem contendentem magis incitaret, et ti-

bi

bi authoritatem conciliaret, admisit te in suam familiaritatem, et te ornavit splendidâ illâ legatione ad Imperatorem, quâ ante tres annos cum magna laude perfunctus es. Quanti autem te faceret, testata est præclaro illo elogio, quod se ex ore ejus audivisse nobis retulit Illustrissimus Princeps Dux Joannes Casimirus, cujus te memorem esse existimo. Quantam voluptatem illustrissimum tuum parentem, et omnes qui te amant, percepisse existimas, cum in illo tuo aulico tyrocinio omnia tibi tam feliciter succedere animadverterent? Ego sane discessi ex Germania, et ad hæc loca non satis pacata veni, ut tuorum successuum, in quibus meam felicitatem constituebam, spectator essem ex propinquo, ac me explerem eâ voluptate quæ fuit maxima quamdiu res tibi ex animi sententia successerunt. Verum præter meam expectationem accidit, ut huc veniens nescio quam nubem tuis rebus obductam compererim, quæ voluptatem illam quam jam spe hauseram, in mœrorem convertit. Perpende tecum, obsecro, quam tibi sit honorificum istic delitescere, interea dum patria eorum quos progenuit opem et auxilium implorat. Si consilia quæ suggessisti, ea esse patriæ salutaria existimans, non ita ut decuit sunt accepta, non licet tibi propterea succensere patriæ, cui omnes injurias boni cives condonare debent; nec propter illas à procuranda ejus salute desistere. Themistocli, in medium adferenti consilia quæ erant reipublicæ salutaria, minatus est verbera Euribiades, nisi taceret; cui respondit Themistocles, "feri, modo audias." Imitare Themistoclem, et libera ab errore vestros homines, qui putant deletas esse in animis Hispanorum injurias, quibus proximis annis à vobis sæpius sunt affecti; quæ si nullæ essent, odium tamen religionis quam profitemini, eos in vestram perniciem satis acueret. Errant sane qui judicant, non esse vobis formidandos

dandos successus eorum in Lusitania, et in his regionibus quibus ego ascribo, quod Pontificii res novas apud vos moliri cœperint. Scis legatos qui hinc sunt ad Andegavensem missi, ante mensem solvisse Flessingiâ. Scimus eos incolumes ad ipsum pervenisse, quamvis nihil adhuc literarum ab ipsis acceperimus. Consilia hæc de accersendo Andegavensi, mirum in modum displicent vicinis gentibus, graviterque ab ipsis accusantur Princeps Auraicus et ordines harum provinciarum, perinde ac si in ea re grave aliquod piaculum committerent. Qui sunt otiosi spectatores alienorum periculorum, nec ullam opem periclitantibus adferunt, non satis juste faciunt, si ideo accusent eos, quod illorum auxilium implorent, quorum ope confidant se emergere posse ex periculis quæ suis viribus propellere non possunt. Hæ provinciæ sunt diuturnis his bellis ita attritæ, ut se suis viribus adversus Hispanorum vim tueri non possint; et sane magno bono earum factum est, quod Hispanus, bello Lusitanico implicitus, non potuerit adversus eos vires omnes suas convertere; quod facturus est, ubi Lusitanos oppresserit, ut testantur literæ Cardinalis Granvellani, recens interceptæ. Hi homines per multos annos exercuerunt inimicitias, et bella gesserunt cum gente Gallica, cujus vitia nequaquam sunt ipsis ignota; interea autem coluerunt amicitiam cum omnibus aliis sibi vicinis gentibus. Nemo itaque prudens non judicabit, eos magnâ necessitate adactos implorare auxilium eorum quos solos hostes à multis sæculis habuerunt. Sævitia Albani satis ostendit, Hispanos in animo habuisse has provincias in duram servitutem redigere; nec est in ea re excusandus Rex Hispaniæ; nam qui harum rerum sunt peritiores, affirmant, Albanum nihil perpetrasse quod à Rege ipsi mandatum non esset. Ubi vero Rex animadvertit, multis injuriis exacerbatos esse harum gentium

tium animos, non hoc egit, ut levibus remediis eos ſibi reconciliaret, ſed conatus eſt injectâ ſpe pacis eos fallere, quo poſſet ſuam in eos crudelitatem exercere, poſtquam arma depoſuiſſent. In ea re primum Maximiliani Imperatoris operâ uti voluit; ſed princeps prudens, ipſi alias addictiſſimus, noluit ipſi navare operam, cum ſciret non id agi, ut harum provinciarum ſaluti conſuleretur. Mortuo Maximiliano, filius ejus minus cautus, faciliorem ſe præbuit Hiſpanis, et fuit author ordinibus harum provinciarum, ut cum Joanne Auſtriaco tranſigerent. Quâ ſinceritate autem ageret Joannes Auſtriacus, conſtat ex ipſius et Eſcovedi literis, quæ ſunt typis evulgatæ. Superiore æſtate paſſus eſt Imperator ſe denuo in theatrum ab Hiſpanis pertrahi, ad agendam eandem fabulam. Quid autem accidit? Interea dum de pace agebatur Coloniæ, ſummo conatu oppugnatum eſt ab Hiſpanis, et tandem expugnatum Trajectum Moſæ. Perfectum eſt, ut Atrebates et Hannonii deſciſcerent à fœdere, quod pro tuenda patriæ libertate cum reliquis provinciis iniverant, et ſe Hiſpanis adjungerent. Qui vero conſtituti erant ab Imperatore pacis diſceptatores, ubi animadverterunt Trajectenſium clade conſternatos eſſe eos qui in fœdere ordinum permanebant, propoſuerunt conditiones pacis, quæ eo ſpectare videbantur, ut Pontificios cum iis qui puriorem religionem profitebantur committerent: nam noſtris nullam ſuæ religionis libertatem concedebant, cum tamen ſcirent, controverſiam de religione fuiſſe ab initio præcipuam cauſam motuum excitatorum in his locis, nec ignorarent, ſummam rerum hic eſſe penes eos qui puriorem religionem profitebantur, quos ſciebant rejecturos conditiones quas proponebant. Sed id tantum ab ipſis agebatur, ut diſſolveretur fœdus quod ii qui non ſunt ejuſdem religionis iniverunt inter ſe ad defendendam ſuam liber-

tatem adverſus Hiſpanos; in qua re non omnino luſerunt ſuam operam; tunc enim Boſcum Ducis, et Mechlinia, ejuſmodi conditionibus illectæ, à communi fœdere deſciverunt. Se autem ideo nullam religionis libertatem conceſſiſſe his provinciis, dicebant præclari illi pacis diſceptatores, quia metuebant, ne eorum ſubditi eandem ab ipſis libertatem poſtularent. Quaſi vero id ipſos præcogitare non oportuerit, antequam hoc munus in ſe reciperent. Ubi vero ita ſecum agi animadverterunt ii qui Coloniam miſſi erant à ſtatibus, coram ipſis diſceptatoribus teſtati ſunt, ſe Ducis Andegavenſis auxilium imploraturos, ſi pergerent Hiſpani eos bello perſequi, et eorum agros devaſtare, ſicut ab ipſis antea erat factum; et eo libentius ſe id facturos, quia audirent bonam eſſe ſpem de ſucceſſu conjugii inter ipſum Andegavenſem et Sereniſſimam veſtram Reginam. Ita vides, vos etiam in hac re non carere culpâ, qui veſtrâ diſſimulatione Andegavenſi authoritatem conciliaveritis, et quaſi viam ipſi ſtraveritis, qua facilius ad ea perveniret ad quæ contendebat. In eo etiam non levi injuriâ affecti ſunt ordines, quod ex decem legatis quos Coloniam miſerant, quinque perſuaſi ſunt à miniſtris Regis Hiſpaniæ, vel ab ipſis diſceptatoribus, ut eorum arcana à quibus erant miſſi proderent, et tandem etiam ut à ſuis deficerent. Nemo prudens et amans æquitatis, meo judicio, hos noſtros accuſabit, quod cum viderent, ſe peſſimis artibus oppugnari, ſibique deeſſe vires ad defendendam ſuam libertatem adverſus vim Hiſpanorum, imploraverint auxilium Andegavenſis, nec voluerint perire in gratiam eorum, qui ipſis exitium procurabant, et ſimulato pacis ſtudio, illudebant, quo poſſent facilius ſerere inter ipſos diſcordias, et ſocios ad defectionem impellere. Ex his ſatis conſtare exiſtimo, non aliam ob cauſam ordines harum provinciarum conſtituiſſe jugum

gum Hispanicum excutere, quam quod viderent ademptam sibi esse omnem spem pacis aut reconciliationis. Ego vero vereor, ne non sit his nostris satis præsidii repositum in Andegavensi; nam non est dubium, ipsum parum præstare posse, nisi fratris opibus adjuvetur: nec video quantum auxilii à fratre expectare possit, quamdiu bello civili ardebit Gallia, quod multi quidem existimant fore facile componere, sed ego vehementer metuo, ne ipsi fallantur. Occupavit Navarrenus urbes, quas non facile restituet; Rex autem nequaquam ei pacem concedet, nisi eas restituerit. Ubi legati qui hinc sunt in Galliam missi Andegavensem convenerint, poterunt forte conjicere quid de pace sperandum sit; sed, ut antea dixi, nondum quicquam literarum ab ipsis accepimus. Hic fere omnia jam nobis infeliciter succedunt. Sub initium hujus mensis, hostes eripuerunt nobis oppidum Hannoniæ Bouchanium, quod munitissimum esse judicabamus. Præterea nostræ copiæ fusæ fuerunt in Frisia, et alias oppida nobis erepta, quæ omnia accidisse dicuntur culpâ eorum qui præerant copiis, quamvis audiam vestrum Norrisium melius rem gessisse quam alios.

Ab aliquot diebus plurimi hic sunt conjecti in vincula, quos fama est habuisse in animo hanc urbem hostibus prodere. Idem etiam tentatum est Gandavi. Rex Hispaniæ proscripsit Principem Auraicum, et curavit edictum, quod proscriptionem continet, typis evulgari. Videtur mihi Rex eo edicto suam existimationem turpiter prostituere. Nemo mihi facile persuasisset, eum ad talia consilia deventurum. Cras Norimbergæ convenient Imperator et Imperii electores. Quam ob causam conveniant non audivi, sed suspicor eos deliberaturos de his provinciis. Accepi tardius literas quibus procuranda est tuo fratri pecunia. Misi

 quidem

quidem eas ſtatim Francofurtum, ſed metuo ne non eo perveniant ante finem mercatûs. Scripſeram antea ad Wechelum, ut ipſi pecuniam procuret, quod ſpero eum facturum. Dominus Rogerſius nudiuſtertius huc venit. Iturus eſt ad conventum Norimbergenſem. Fama eſt hic Regem Poloniæ à ſuis eſſe interfectum, quod utinam non ſit verum; nam exiſtimo, non fuiſſe præſtantiorem principem in toto orbe Chriſtiano. Mortuus eſt etiam Dux Sabaudiæ, qui nec ingenio nec induſtriâ caruit. Filius qui ei ſuccedit eſt natus annos undeviginti. Bene vale, et clariſſimum Dominum Dierum meo nomine officioſe ſaluta.

Antuerpiæ, 24. die menſis Septembris 1580.

XCVI.

LIteræ tuæ multis nominibus fuerunt mihi gratiſſimæ, ſed eo maxime, quod intelligam te ex illis tuis latebris in lucem aulæ tandem prodiiſſe. Crede mihi, tempeſtates quæ nobis imminent, cogent principes, niſi plane perire volent, uti conſiliis eorum qui ipſis monſtrabunt qua ratione impendentia mala averti poſſint, et præferre eos illis qui omnia ſua facta et dicta eo tantum dirigunt, ut gratiam ineant, et ſuis privatis commodis conſulant, parum alioqui de republica ſoliciti, à quo genere hominum ubique fere principes obſideri videmus. Gaudeo quod mihi ſignificaveris qua ratione ſcriptum illud tuum de Andegavenſi Duce ad plures pervenerit; nam antea exiſtimabam, id à te factum eſſe, quo teſtareris te eum contemnere, nec ejus odium reformidare; quod mihi nequaquam tutum videbatur, ac etiam ab innata tibi modeſtia alienum; et propterea ſuſpicabar te ad id ſcribendum impulſum eſſe ab aliquibus, qui vel non intel-

ligerent

ligerent in quas difficultates te conjicerent, vel tuis periculis parum afficerentur, modo id perficerent quod cupiebant. Cum vero ſcribere iſta juſſus fueris ab iis quibus neceſſe erat ut obſequereris, nemo niſi iniquus reprehendere poteſt, quod quæ ſalutaria veſtræ reipublicæ exiſtimabas libere protuleris, nec etiam quod quædam exaggeraveris, ut quæ putabas utilia facilius perſuaderes: nam ejuſmodi ſcripta ſunt inſtar privatorum colloquiorum inter amicos, in quibus liberius proferre ſolemus quid de quolibet ſentiamus; interdum enim virtutes laudamus, aut vitia deteſtamur, prout aliquos in odium adducere, aut eis benevolentiam conciliare volumus; quod ſi nobis coram pluribus de iis ferendum eſſet judicium, non eodem modo ſermonem noſtrum inſtitueremus. De Andegavenſis ad vos adventu, et conjugio, idem ſentio quod ſemper ſenſi. Quod ſi huc venerit, et ipſi reconciliari cupias, nihil erit facilius. Omnium optime id præſtare poterit Princeps Auraicus, quem haud dubie parentis loco habebit et reverebitur. Sunt tibi amiciſſimi Sanct. Aldegondius, Pleſſæus, et Villerius, qui haud dubie apud ipſum valebunt authoritate, et in tui gratiam nihil non facient. Si alii deeſſent, ego forte in ea re aliquid poſſem; nam cum ſuperiore æſtate apud ipſum eſſem, non minus familiariter mecum loquebatur quam tu ſoleas. Quod ſi huc venires, et ei tua officia et obſequia deferres, id mihi et generoſum et magnanimum videretur, et eâ re teſtareris, te, ſi quid adverſus ipſum feciſti, non ejus odio feciſſe, ſed quia id utile patriæ tuæ eſſe judicares. Simierus in nulla jam eſt apud ipſum gratia, quare dici a te poſſet ejus culpâ factum eſſe, ut tu et alii ipſi ſitis adverſati. Sanct. Aldelgondius, in ſuis ad nos literis, eum miris laudibus effert, et de ejus virtute nihil non ſibi promittit. Ego metuo, ne non poſſit à Rege fratre id impetrare quod ordines

nes harum provinciarum requirunt; nam nec facile componetur bellum quo jam ardet Gallia, nec facile Rex in gratiam fratris adversus Hispanum bellum suscipiet. Quod si destituamur auxiliis quæ inde speramus, metuo ne res nostræ pessum eant; nec sane vobis erit salutare nostrum exitium. Indictus est Hagam Holandiæ conventus provinciarum quæ in fœdere ordinum generalium permanent; in quo, ut existimo, deliberabitur, qua ratione Frisiæ, Transisalanæ provinciæ, et Gueldriæ subveniri possit, quæ pene perierunt culpâ eorum, qui ibi summæ rerum præsunt. Ad eum conventum ituri sunt Archidux Matthias et Princeps Auraicus. Quidam suspicantur Archiducem Matthiam vix huc reversurum. Oportet sane in vestro Draco plurimum esse ingenii, virtutis, et industriæ. Magis mirum mihi videtur, quod potuerit tandiu necessaria ad victum sibi et suis parare, cum omnia hostilia ubique sit expertus, quam quod orbem terrarum circumnavigaverit. Perpetravit facinus, quod non solum ipsi, sed etiam toti vestræ genti, erit gloriosum, nisi forte istam vestram gloriam ingratitudine erga ipsum commaculaveritis. Imperia nec metu nec ignaviâ constituuntur aut conservantur, et iis quos metuimus solemus plerumque nostram libertatem sensim prodere. Obsecro, si quid habes de ejus navigatione, ut nos ejus participes facias. Ego profecto virum illum etiam mihi ignotum colo et magnifacio, nec dubito quin ejus nomen futurum sit clarissimum ad posteritatem, et consulo ut cum eo amicitiam colas. Metuendum videtur, ne incendium excitatum in Hibernia vestram tandem Angliam corripiat; omnes nempe judicant, vos ibi bellum ita gerere, ut videamini potius velle illud alere quam opprimere. Qui de generoso tuo fratre ad me ex Germania scribunt, ejus probitatem, ingenium, et diligentiam in studiis, valde commendant. Aiunt eum felicis-

sime

ſime didiciſſe linguam Germanicam. In Latina eum plurimum profeciſſe animadverto. Scribit enim longe commodius quam antea. Jam iturus eſt in aulam Cæſaream, commendavi eum diligenter Aurelio Secretario Gallico, cui rationes illius aulæ ſunt optime notæ. Cupit ſub initium veris inviſere Italiam, veſtrum eſt mature ei ſignificare quæ ſit veſtra de ea re ſententia, quo poſſit ſe ad iter præparare. Dominus de la Val, quem vidiſti Baſileæ, venit huc ex Germania: puto eum apud nos hibernaturum. Doct. Niphus ſalutat te. Venit huc ob quædam ſua privata negotia. Communis noſter amicus, Dominus Daniel Rogerſius, miſſus à Sereniſſima veſtra Regina in Germániam, captus eſt à prædonibus prope Cliviam oppidum, et abductus in arcem Blimbeck, quæ ad Martinum Schenck pertinet. Veſtrum eſt procurare ipſi libertatem; nam Princeps Auraicus nihil in ea re poteſt; ſunt enim ejus hoſtes infenſiſſimi ii à quibus eſt captus. Peto ut clariſſimum Dominum Dierum officioſe meo nomine ſalutes.

Antuerpiæ, 22. die Octobris 1580.

XCVII.

HEri accepi literas quas ad me dediſti Colonienſi illi quem tibi commendaveram. Gaudeo, ut antea ſcripſi, te, deſerto amœno illo tuo ſeceſſu, in lucem aulæ prodiiſſe; ſed vereor ne te ejus ſatietas cito capiat. Video iſtic honores et dignitates ætati et opibus potius quam virtuti et prudentiæ tribui, quare tibi, juveni et filiofamilias, non facile ad eas patebit acceſſus. Florem ætatis in nugis et otio aulæ conterere erit tibi admodum grave; nam occupationes eorum qui in aulis vivunt, nec ullo publico munere funguntur, raro circa res ſerias verſantur. Ne patiaris igitur te ina-

nibus

nibus ſpebus diu lactari, et tecum ac cum clariſſimo Domino Diero, quem tibi amicum fidiſſimum, et virum prudentiſſimum eſſe compertum habes, de rebus tuis conſtituendis ſerio delibera, et aliquid conſtitue. Illuſtriſſimo tuo parenti, et aliis tuis neceſſariis, jucundum eſt, frui tui ingenii præſtantiâ et ſuavitate, quomodocunque id fiat; quibus licet plurimum debeas, et præſertim illuſtriſſimo tuo parenti, puto tamen te adhuc plus debere patriæ, cui cum videantur imminere ſævæ tempeſtates, tuum eſt te præparare ad eas avertendas quantum in te erit; nam puto non multos eſſe apud vos qui patriæ ſalutem privatis ſuis commodis præponant. Vides quantum vobis negotii faceſſant turbæ in Hibernia, excitatæ ab aliquot nugatoribus. Quid puto futurum, ubi veſtri proceres factionibus dividentur, et inter ſe committentur, et incendio, quod apud vos excitabitur, vicinæ gentes fomenta injicient. Crede mihi, non ſedabunt ejuſmodi tempeſtates ſophiſmata, quæ omnem ingenuitatem et ſimplicitatem ex aulis orbis Chriſtiani profligaverunt. Opus erit tunc animi fortitudine, quæ, niſi rei militaris peritiâ inſtructa fuerit, non poterit præſtare patriæ ea beneficia quæ ipſi erunt neceſſaria. Novem dierum navigatione venerunt huc ex Luſitania naves, quæ referunt, nondum eſſe plane perditas res Luſitanorum, ſicut antea fama, artibus Hiſpanorum diſſipata, nobis perſuaſerat. Antonium, deſignatum à populo Regem, aiunt habere ſub ſignis decem aut duodecim millia armatorum, quibus ſe recens conjunxerunt ſeptingenti aut octingenti veterani, collecti ex præſidiis urbium quas Luſitani in Africa poſſident. Redegit nuper in ſuam poteſtatem urbem Porto Porto, ad quam appellere ſolent naves venientes ex Braſilia, quam aiunt omnium Luſitanicarum opulentiſſimam eſſe poſt Olyſipponem. Miſerat Albanus filium cum copiis ad ea loca, ut obſeſſis ſuppetias

petias

petias ferret; ſed fecerunt deditionem antequam adveniret. Referunt iſti, Gallos, qui à Philippo Strozzì mittebantur auxilio Regi Antonio, ad ipſa uſque littora Luſitaniæ perveniſſe; ſed repente coortâ ſæviſſimâ tempeſtate, ab ipſo littore repulſos eſſe, nec ſciri quonam pervenerint. Audimus tamen in Galliam reverſos eſſe. De valetudine Regis Hiſpaniæ quædam referunt, quibus quantum fidei adhibendum ſit neſcio. Pacem eſſe factam inter Turcas et Perſas, ſcriptum eſt huc Viennâ ad Archiducem Matthiam. Literæ ſcriptæ Conſtantinopoli idem innuunt, ſed non plane affirmant. Addunt Imperatorem Turcicum mandaſſe Ochialo, ut plures novas triremes extrui curet, ita ut exiſtimetur proximâ æſtate aliquid tentaturus adverſus Hiſpanos. Ejus ſane plurimum intereſt, ne Luſitaniâ potiantur Hiſpani, ne adimant Ægyptiis navigationes in Indiam per ſinum Arabicum. Intereſt etiam Venetorum, Maſſilienſium, et aliorum, qui Alexandriâ et Alcairi mercaturam exercent. Quæ de morte Regis Poloniæ audiveramus non ſunt vera. Aiunt eum cum victore exercitu in mediam Moſcoviam penetraſſe, et Moſchum ſupplicem ab eo pacem petere. Auraicus Princeps profectus eſt in Hollandiam. Eum cras, Deo dante, ſubſequar, juſſus ab eo id facere. Non potui me ei comitem adjungere, eo quod mihi hic quædam neceſſario procuranda eſſent ante meum diſceſſum. Gaudeo cum veſtro Draco benignius agi quam exiſtimaveras. Bene vale, et clariſſimum Dominum Dierum officioſe meo nomine ſaluta.

Antuerpiæ, 28. die Octobris 1580.

INDEX NOMINUM.

Abondius. 19. 27. 44.

Agricola. 180.——Georgius Agricola. Natus Claucha, quæ Misniæ oppidum est: Medicus. Scripsit *de Re Metallica*. Ob. 1555.

Albanus. 10. 73. 205. 219. 220. 270. 288.——Ferdinandus Alvares de Toledo, Dux de Alva. Belgio diu præfuit. Summâ arrogantiâ infamis, nec minori crudelitate. Ob. 1582.

Albani fil. 219. 288.——Fredericus, Ferdinandi Albani filius. Ut paternæ severitatis æmulus, ita odii particeps. "Cum "nobilem virginem stupro circumvenerit, in vincula "conjectus." *Grotius, Annal. l.* 2. *p.* 43. Neque multum diversa sunt quæ Strada narrat, *l.* 7. *p.* 271. De Albano, et filio ejus Frederico, memoratu digna sunt quæ Bassompierre refert, *Journal, t.* 2. *p.* 125. "Le Grand Duc d'Albe avoit mieux aimé encourir le "crime de rebellion, tirant son fils Dom Fadrique de "Toledo, en pleine paix, à coups de petard, d'un chateau "où l'on l'avoit mis, pour le forcer, contre sa volonté, "d'espouser une fille du palais, qui vit encore [1621], "et est la vieille Marquise del Vallo, que de le laisser "marier à une tres riche fille, et d'esgale maison à la "sienne."

Albovius. 53.——Carolus de Lotharingia: Renati filius, Claudii nepos. Marchio, et deinde [1581] Dux, de Elbœuf. Ob. 1605.

Aldegondus. 285. 289. Vid. *St Aldegondus*.

Alençonius. 151. 211. 249. —— Franciſcus Hercules Dux de *Alençon.* Henrici II. Galliarum Regis filius natu minimus. Ob rerum novarum ſtudium, animi levitatem, et peſſimam in negotiis gerundis fidem, exteris æquè ac ſuis odioſus. Ob. 10. Jul. 1584.

Alexander, Lucretiæ pater. 57. —— Alexander VI. Pontifex Romanus; Rodericus iſte Borgia, Hiſpaniâ ortus. Ferunt eum cum Lucretia, filia ſua, rem habuiſſe.

Alexander. 97. 194. —— Vaivoda Valachiæ Tranſalpinæ.

Alexander. 97. —— Moldaviæ Præfectus.

Amirallius. 51. 100. —— Gaſpar de Coligni, qui poſt res præclarè geſtas, Regis ſui ſacramento confiſus, ictibus ſicariorum ab ipſo Rege immiſſorum, occubuit 24. Aug. 1572.

Amirallius Caſtellæ. 181.

Amurates. 127. 141. 191. —— Amurathes III. Turcarum Imperator, fratri Selimo ſucceſſit 1575. Ob. 1595.

Andegavenſis. 51. —— Henricus Dux de Anjou regnum Poloniæ adeptus 1572. Carolo Galliarum Regi mortuo, ſucceſſit. 1574.

Andegavenſis. 228. 239. 251. 252. 258. 259. 261. 267. 268. 270. 274. 280. 282. 283. 284. 285. Vid. *Alençonius.*

Andeloti filii ex ſecundo conjugio. 230. —— Franciſcus Dominus de Tanlay, et Benjaminus Dominus de Sailly, Franciſci Colignii, ex Anna Salmenſis Comitis filia, liberi.

Andreæ. 186. —— Jacobus Andreæ, *Smidelinus* dictus. Natus Waiblingæ in agro Wirtembergico. Magni nominis

minis Theologus; et, si scripta expendas, gravissimus; libri quippe ab eo conscripti cxl. numerantur. Formula illa, quæ *Concordia* vocatur, unde tot lites ortæ sunt, eum auctorem habuit.

Anhaldinus. 181. —— Joachimus Ernestus Princeps de Anhalt. Ob. 1586.

Antonius Portugalliæ Rex. 258. 288. —— Ludovicus, Emanuelis III. Portugalliæ Regis filius, Antonium genuit, ex concubina, Violanta Gomez, Judæa. Mortuo Rege Henrico [1580.], Antonius sibi regnum vindicavit. Verum ab Hispanis victus bello, et in exilium pulsus est. Adversis rebus diu colluctatus, Parisiis tandem obiit. 1595.

Arausiensis. *Arausius*. *Auraicus*. 34. 38. 53. 62. 66. 74. 76. 174. 175. 189. 190. 191. 201. 203. 216. 217. 219. 220. 222. 242. 255. 256. 257. 258. 259. 262. 263. 264. 265. 266. 267. 268. 270. 271. 274. 280. 283. 285. 286. 287. 289. —— Gulielmus de Nassau, Princeps Arausiensis. Batavæ libertatis assertor et stator. A Baltazare Girardo Burgundo nefariè occisus 10. Jul. 1584.

Armenius. 97. —— Johannes Armenius, pulso Vaivodâ, Moldaviam occupavit.

Armenius. 97. —— Petrus Armenius, Johannis frater.

Ascanius. 238. Vid. *Remalme*.

Auberius. 102. —— Johannes Aubri, bibliopola, Andreæ Wecheli typographi gener; vel, forte, Anglus quidam quem Langueto Sydnæus commendaverat.

Aurelius. 287. —— Legati Gallici ad Imperatorem ab epistolis.

Austriacus, Johannes ab Austria. 10. 54. 59. 70. 71. 141. 174. 175. 192. 201. 212. 236. 281. —— Caroli V. Imp. ex Barbara Blomberga Ratisbonensi nothus. Ob. 1578. Quæ de matre ejus à Bælio narrantur, planè ridicula sunt; nec ab ullo scriptore, qui illa tempora attigit, memorata, excipias modo Brantosmeum, fabellarum quotidianarum recitatorem.

Avila. 54. —— "Sanctius de Avila, ab Duce Albano "puer educatus ad bellum, ejusque perpetuus vel in "obitu affectator." *Strada, l.* 6. *p.* 212.

Balassi. 122. —— Johannes Balassi, Hungarus.

Bannosius. 163. 173. 174. —— Theophilus Bannosius, Theologus. Ejus opera feruntur, *Petri Rami, Philosophi Vita*. Francof. 1579, 8vo; et *De Politia civitatis Dei*. Francof. 1592. 4to.

Barlamontius. 74. —— Carolus de Floion, Comes de Barlamont. Quem Belgæ, ob vile obsequium, et malas artes, oderunt; at Hispani, ob servatam fidem, collaudant. Ob. 1578.

Barlamontius. —— Ægidius de Floion, Caroli filius, in obsidione Trajecti ad Mosam interemptus. 1579.

Bathorius. 120. 152. 153. 154. 155. 158. 159. 160. 163. 194. —— Stephanus Bathori Transilvaniæ Princeps, Annam, Sigismundi Poloniæ Regis sororem, virginem ferè quinquagenariam, duxit. Poloniam strenuè ac feliciter rexit, ab anno 1575 usque ad annum 1586, quo, repentinâ morte, diem clausit supremum.

Bavariæ Dux. 138. 204. —— Albertus V. Ob. 1579.

Bekeſſius. 114. 120. 121. 122. 123. 128. 129. 130. 131. —— Gaſpar Bekeſſius, Comes de Fogaraz in Moldavia. Vid. *Langueti* epiſtolæ ad Camerarium, p. 209.

Bellebovius. 23.

Bellevræus. 90. —— Pomponius de Bellievre. Verba ejus ſepulchro inſcripta Bellevræi mores ac res geſtas breviter enarrant. " Pomponio Bellevræo, Franciæ Can-" cellario, viro pietate, doctrinâ, magnitudine animi, " ſummâ in principem fide clariſſ.; qui, ſub quinque " Regibus, honoribus ampliſſimis, ac variis laborioſiſſi-" miſque legationibus pro rep. geſtis, pace domi foriſque " conſtitutâ, cum legibus et ſigillo principis integerrimè " præfuiſſet, gloriâ non opibus cumulatus, obiit anno " ſalutis 1607. 5. Id. Sept. ætatis ſuæ 78."

Belzenſis. 143. 144. —— Johannes Sarius Zamoſcius, Belzenſis Palatinus; magnus ille Zamoſcius, rebus omnibus ornatus. Ob. 1605.

Belus. 169. 171. 172. 173. 180. 185. 186. 187. 188. 189. 197. 237. —— Robertus Beale. De eo hæc habet Languetus, *Epiſt. ad Auguſtum Saxonem*, 23. *Sept*. 1577. *p*. 320. " Eſt vir ingenioſus, et non parvæ auctoritatis; " eſt enim *Secretarius* Arcani Concilii. Dedit operam " literis Vitembergæ cum adhuc in vivis eſſet Philippus " Melancthon." Ob. 1601.

De la Beurte. De la Burthe. 93. 94. 100. —— In aula Henrici Navarræ Regis Magiſter ſupplicum libellorum. Ejus miniſterio uſus eſt Henricus, poſt victoriam apud Coutras partam, ad Henrici Galliarum Regis amicitiam conciliandam.

Beutterichius.

Beutterichius. 183. 186. 189. 191. 200. 202. 207. 242. 247. 253. 254. 272. —— Petrus Beutterichius, literarum æquè ac rei militaris laude insignis. J. Casimiro Palatinò intimâ familiaritate conjunctus, ejus consiliis adfuit. Ob. 1587. Casimirus Beutterichio sepulchrum extrui curavit, his verbis inscriptis : " Arte, forte, Marte : exer-" cituum ductori sacrum. Petrus Beutterichius Mom-" belgartensis, cum gentis suæ tenuitatem virtutis et e-" ruditionis famâ illustrasset, prudentiæ et integritatis " laudem ex variis legationibus retulisset, *Francorum* " *Regem liberas voces ferre ac perferre docuisset*, Helve-" tium militem industriè conscripsisset, Gallorum cohor-" tem per hostes infestos Bonnam perduxisset, apertis " occultisque inimicorum machinis invictus, sub ipsa " Navarræ expeditionis contra impiæ conjurationis ty-" rannos susceptæ initia, a ter Maximo Imperatore le-" ctus emigravit. 1587. Prid. Id. Feb. ætat. 42. Jo-" hannes Casimirus Comes et Administrator Palatinatûs, " Bavariæ Dux, consiliario, legato, tribunoque meritissi-" mo P. D." De Beutterichio egregium testimonium perhibet Mezeræus. *Hist. Gall. v.* 3. *p.* 434. " Vir ille, fer-" vidi et audacis animi, *Regem* allocutus est, libertate usus " planè Germanicâ."

Bisetus. 107.

Bizarrus. 3. 54. 90. 163. —— Petrus Bizarrus Sentinas. Libros quamplurimos edidit, sciz. de Imperio Persarum, de republica Genuensi, &c. Bizarrus Languetum impensè laudat. *Hist. S. P. Q. Genuensis*, ad. an. 1567. p. 577. Languetus tamen videtur eum non magni fecisse.

Bonnecortius. 200. —— *Bonnecourt*. Gallus, in exercitu J. Casimiri Palatini tribunus militum.

Bossuvius.

Bossuvius. 263. —— Maximilianus Comes *Bossu*. Ob. 1578. Vid. *Meterani* Belg. Hist. viii. 210. Nomen hoc reponi curavi pro *Bohemo*, quod, ex inscitia scribæ, aut typographi errore, in Epistolas Langueti irrepserat.

à Bouchan. 181. —— Henricus, Baro à Bouchan in Austria, à Nicolao Comite Salmensi certamine singulari interfectus 1577. Tradit Languetus, Barones à Bouchan originem suam referre ad Comites à Bouchan [Buchan] in Scotia. Sunt vicissim inter nostrates qui originem suam in Germania quærunt, cum fabularum à longinquis regionibus ductarum major sit gratia, et uberior fides. Ea est vetustissima nobilitas cujus initia latent.

Bouchetollius. *Bouchetellus*. 42. 154. —— Gallus. Credibile est, eum fuisse Vulcobii amanuensem. Vid. *Vulcobius*.

Brandeburgensis. 162. 181. —— Elector, Johannes Georgius. Ob. 1598.

Braunerus. 16. —— Johannes Braunerus, *Aulicus consiliarius*, quem vocant, Rodolphi Hungarorum Regis.

Briquemaldus. 101. —— Franciscus de Briquemault, ultimum supplicium subiit 22. Oct. 1572, una cum Cavagnio, falso crimine. Cui supplicio spectator adfuit Carolus IX. Galliarum Rex.

Bromius. 195. —— Nicolaus Bromius, Augusto Saxoni, Rom. Imp. septemviro, à consiliis.

Bromius. 105. —— Johannes Fredericus.

Brunsvicensis. 192. —— Ericus Dux Brunsvicensis. Ob. 1584.

Bruschettus. 8. 17. 27. 47. 65. 72. 77. 83.

Buyus. 247.

Cambier. 195. —— Robertus Cambier, bibliopola Londinensis.

Carolus Archidux. 204. 206. —— Ferdinandi I. Imp. filius natu minimus. Uxorem duxit Mariam Bavaram. Ob. 1590. Ferdinandus, Caroli Archiducis filius, de quo hìc sermo, imperium suscepit 1619, Maximiliani II. stirpe masculâ præcisâ.

Carolus, Sueciæ Regis frater. 231. —— Carolus IX. Sigismundo fratre exacto, regnum sortitus est 1604. Ob. 1611.

Casimirus. 16. 99. 166. 169. 171. 173. 174. 183. 184. 192. 199. 200. 207. 211. 216. 217. 226. 227. 229. 242. 253. 254. 279. —— Johannes Casimirus Palatinus, Frederici III. Rom. Imp. septemviri, filius natu minor. Exercituum locator egregius. Ob. 1595. Uxorem duxit natam Augusti Saxonis Rom. Imp. septemviri, 1570.

Cassiodorus. 225. —— Hispanus, mercator Coloniensis.

Castanea Archiepiscopus Rossanensis. 225. —— Johannes Baptista Castanea, Romanus. Cardinalis S. Marcelli, et, mortuo Sixto V. Pontifex Romanus, Urbanus VII. vocatus, 1590. Paucis post susceptum imperium diebus extinctus est.

Cavagnius. 101. —— Arnoldus de Cavagne, in senatu Tolosano judex minoris ordinis, [conseiller du parlement de Toulouse], una cum Briquemaldo capite plexus 1572, reus istarum scilicet insidiarum quas Colignius, inermis, et gravi vulnere saucius, Regi Galliarum, et proceribus in unum congregatis, militibus etiam prætorianis, et omni denique populo Parisiensi, struxisse perhibebatur!

Cecilius.

Cecilius. 104. —— Gulielmus Baro de Burghley, Edvardo VI. Anglorum Regi et Elisabethæ Reginæ ab epistolis fuit: ærario tandem regio præfectus, rempublicam ita administravit, vir frugi, et solers, et famæ integræ, ut nostrates etiamnum si quem ad gubernacula regni sedentem laudibus efferant, *Burghleium* illum *alterum* appellent. Ob. 1598. ætat. 77. Quæ Languetus tradit de amicitiis cum Ceciliana domo conciliandis, neque viro sapienti conveniunt, neque bono digna sunt. Epistolas vidimus *peccare docentes*, avide conquiri, legi, laudari; verum tamen cum exempla nihil ad mores faciant, ea quæ de simulatione Languetus præcipit, haud probo, immo quam maxime improbo.

Cenomanum Dux. —— Carolus de Guise, Claudii f. secundo genitus, Dux de Maienne, sive Mayne; fœderis illius princeps, quod, inverso vocabulo, *sanctum* fanatici appellabant. Ob. 1611.

Champagnæus. 73. —— Fredericus de Perrenot, Dominus de Champaigni, Cardinalis Granvellani frater, arcis Antuerpiensis præfectus.

Charitatis Domûs Rex. 240. —— "Advenæ ex Hollandia, "feraci hæreticorum provincia, per id temporis, [1580.], "pacem ecclesiæ et reipublicæ Anglicanæ turbare cœpe-"runt, qui in imperitum vulgus singularis integritatis et "sanctitatis specie se insinuarunt, et deinde damnatas "hæreses, fidei Christianæ apertè adversantes, in animos "instillarunt, portentoso et novo loquendi genere, à "Christiana professione alienissimo, quod homines potius "mirarentur quem intelligerent. Hi à *familia amoris*, "sive *domicilio charitatis*, se nominarunt, sectatoribus "persuaserant solos in illam familiam ascitos electos esse "et salvandos, reliquos omnes reprobos et damnandos, "illisque licitum esse negare jurejurando quicquid lu-"bet coram magistratu, aut quovis alio, qui non sit

" ex ipsius familia." *Camden.* Elisabetha. p. 351.

Christophorus Palatinus. 16. 54. 61. 66. 68. 76. —— Frederici III. filius. Caesus prope Neomagum. 1574.

Cicala. 127. —— Genuensis; ejuratis Christianorum sacris, Aga Janizzarorum, sive praefectus militum praetorianorum.

Clivensis Dux. 224. —— Wilhelmus Dux Cliviae, Juliae, et Bergae. Ob. 1592.

Clusius. 111. 133. 151. 154. 163. 182. 238. —— Carolus Clusius. Natus Atrebati [Arras]. Horti Caesariani praefectus. De plantis et medicamentis libros quam plurimos edidit. Ob. 1609, annum agens 84. De eo vid. *Meursii* Athenae Batavae, p. 186.

Coenalis. 29. —— Robertus Coenalis [Gallicè Ceneau] Episcopus Abrincensis [Avranches] in Normannia. Ob. 1560. Plurima effutivit de origine et rebus gestis Gallorum, Francorum, et Burgundionum, quas omnes ineptias *Historiae Gallicae* nomine vocari voluit.

Coloniensis Elector. 224. —— Gebrardus Truchses, ex familia Baronum Valburgensium in Suevia. Ductâ uxore, in partes Protestantium abiit.

Commendator. 43. 53. 73. 76. 90. 91. —— Ludovicus Zuniga à Requesenes; nomen *Zuniga*, à patre, à matre vero *Requesenes* habuit. Ordinis S. Jacobi Princeps, sive *Commendator Magnus Castellae.* " Largitor et comis " plusquam Hispanis solitum: peritiâ Albano impar; " haud egenus tamen bellicae laudis. Pars magna sci- " licet illustris ad Echinadas [Lepanto] victoriae, sed " Granatae etiam perdomitae prae se famam ferens," &c. *Grotius,* Annal. l. 2. p. 43. Ob. 1576.

Conisbæus. 17. 27. —— Thomas Coningesby, ut videtur, de Hampton Court, eques. Anna, Henrici Sydneii soror, nupsit Gulielmo Gulielmi [Fitzwilliams] de Milton equiti. Philippa vero, Gulielmi et Annæ filia, nupsit Conisbæo.

Cracoviensis Palatinus. 144. 145. —— Stanislaus Nascovius de Mirow Cracoviensis Palatinus. Condæi et Colignii castra, tempore bellorum civilium, secutus est, Andegavensi regnum Polonicum ambienti pertinacius obstitit.

Crato. 48. 65. 143. 162. —— Johannes Crato à Crafftheim. Natus Vratislaviæ Silesiorum. Ferdinandi I. Maximiliani II. et Rodolphi II. Impp. medicus primarius. Ob. 1586. De Cratone plura habet Camerarius *vit. P. Melancthon, p.* 254. 255.

Crucius. 17. 21.

Condæus Princeps. 16. 86. 89. 275. —— Henricus de Bourbon, fil. Ludovici apud Jarnac cæsi 1569. Ob. 1588.

Constantiensis Cardinalis. 76. —— Marcus Sitticus, Wolfgangi Theoderici Comitis de Hohenembs, filius natu maximus. Matrem habuit Claram Mediceam, avunculum vero Pium IV. Pontificem Romanum. Ob. 1595.

Corbettus. 80. 81. 82. 96. 98. 102. 142.

Custosius. 101. —— Jurisprudentiæ Professor Argentorati. Gallus.

Danæus. 248. —— Lambertus Danæus, [Daneau] Gallus. Genevæ V. D. minister; in academia Lugdunensi apud Batavos S. S. Theologiæ Professor: tandem in patriam redux, ob. 1596.

Dania

Daniæ Rex. 161. 262. —— Fredericus II. regnavit annos 29. ob. 1588.

Danzæus. 263. —— Carolus Danzai, à Gallo ad Daniæ Regem legatus. Eum à ſacris Pontificiis alieniorem fuiſſe credibile eſt. Vid. *Memoires du Mornay*, *p*. 97.

Delius. [male Delrius]. 22. 41. 71. 161. —— Matthæus Delius Hamburgenſis. Vid. *Meliſſi Schediaſmata*, *part*. 3. *p*. 266. Scripſit *De arte jocandi*, *libros quatuor*, [Francof. anno 1578, 12mo]. Quos rectius nominaſſet *De urbanitate et lepore dicendi*; id enim præcipuum operis argumentum.

Deſmond. 37. —— Geraldus Geraldi [Fitzgerald] Hibernus, undecimus Comitum de Deſmond. Poſt varia vitæ diſcrimina, in tugurio, ubi latebat profugus, occiſus eſt, 1583. Caput abſciſſum et ad pontem Londinenſem palo affixum.

Dierus. 214. 215. 228. 238. 241. 260. 284. 287. 288. 289. —— Is eſt, ni fallor, Edmundus Dier eques; qui, variis legationibus probè adminiſtratis, nomen ſibi peperit.

Dohna. *Baro*. 157. —— Vid. *Thonau*.

Dracus. *Franciſcus*. 286. 289. —— Drake, natus in provincia Devonia, ob res mari geſtas celeberrimus; primus omnium Anglorum orbem terrarum circumivit. Ob. 28. Jan. 1596.

Dudicius. 135. —— Andreas Dudithius Sbardellatus ab Horchovifa; natus Budæ in Pannonia 1533. Reginaldi Poli Cardinalis Angli familiaritate uſus. In urbe Pannoniæ, quæ *Quinque Eccleſiæ* vocatur, Epiſcopus. à Ferdinando I. Imp. ad Tridentinum Concilium legatus. Ductâ uxore, in Proteſtantium partes abiit. Vir expertæ probitatis,

probitatis, et Austriacæ domûs fidelis cliens. Hinc, licet sacra pontificia ejuraverat, à Maximiliano II. Imperatore ad Polonos missus est 1573, cum de novo Rege eligendo consilia susciperentur. Dudithii vitam et res gestas descripsit Quirinus Reuterus. Vid. *Continuatio Sleidani, t.* 2. *p.* 766.—774. De Dudithio ait Languetus, *Epist. ad Camerarium, p.* 147. "Accessi ad eum, et de "variis rebus collocutus, miratus sum ejus ingenium et "facundiam et eruditionem multiplicem."

Egmondanus. 268. 269. —— Philippus l'Amoral Comes de Egmont.

Elisabetha. 260. —— Maximiliani II. Imp. filia, Caroli IX. Galli uxor. Ob. 1595.

ab Emps. 76. 77. 78. 91. —— Jacobus Annibal Comes ab Altenembs, sive Hohenembs, matrem habuit Claram Mediceam, Pii IV. Pontificis Romani sororem. Eum avunculus exercitui ecclesiæ Romanæ præfecit; Ferdinandus I. Imp. Comitibus Rom. Imp. ascripsit; Philippus vero II. Hispaniæ Rex, comitatu Galeratensi in Insubria donavit, ob militarem operam navatam.

Entzesdorff. 65. —— Wolfgangus de Entzesdorff.

Ernestus Archidux. 16. 20. 30. 89. 106. 112. 117. 143. 146. 180. 227. —— Maximiliani II. Imp. f. Germaniæ inferiori præfuit Regis Hispani nomine 1594. Ob. 1595.

Escovedo. 281. —— Johannes de Escovedo; Johannis Austriaci, à secretis epistolis. Eum Antonius Perez sustulit, 1578, Philippi II. Hispani mandatis obsecutus, ut perhibetur. "Homo astutissimus, quem putant ipsi Johan- "ni Austriaco additum tanquam pedagogum." *Langueti Epistolæ ad Augustum Saxonem,* 19. *Aug.* 1577.

Eyzing.

Eyzing. 64. —— Baro ab Eyzing, inferioris Auſtriæ præfectus.

Ferdinandus Archidux. 204. —— Ferdinandi I. Imp. fil. Maximiliani II. Imp. frater. Comitatum Tirolenſem poſſidebat. Ob. 1595.

Ferdinandi Archiducis filius. 120. —— Ferdinandus Philippinam Velſeram legitimæ uxoris loco habuit, neque ab ejus conſuetudine unquam divelli potuit. Ex ea ſuſcepit Andream Rom. Eccleſ. Cardinalem, et Carolum Marchionem de Burgau, de quo hìc ſermo eſt.

Ferdinandus Albani Nothus. 220. —— Qui et *Magnus Prior Hiſpaniæ*. Concilio militari apud Hiſpanos præfuit.

Ferrarienſis. 53. 96. 117. 118. 138. 143. —— Alphonſus II. ex familia Eſtienſi. Ob. 1597.

Ferrerius. 21. 36. 92. —— Armand du Ferrier, ortus Toloſæ, juriſconſultus. A Gallo Rege ad conſilium Tridentinum legatus, mox ad rempublicam Venetorum; cum jam provectioris ætatis eſſet, ſe ſacris Proteſtantium addixit. Henricus Navarræ Rex Ferrerium in clientelam recepit, et eum *cuſtodem Magni Sigilli* deſignavit, [Garde de Sceaux]. Mortuus eſt 1585, annos natus 79. De Ferrerio hæc habet M. de Montaigne, *Commentar. de peregrinatione ſua, vol.* 1. *p.* 205. "Annum "jam explevit 75, ut ipſe ait, et ſenectute gaudet ſanâ "et hilari. Mores hominis et ſermones *ſcholaſticum* ali"quid præ ſe ferunt, leporis atque argutiarum parum. "Quoad res noſtras, in novas Calvinianorum opiniones "procliviorem, haud incertis indiciis, deprehendas."

Florentinus. 72. —— Coſmus I. Etruriæ Dux, quem pictores collaudant et poetæ, de everſa republica minimè ſoliciti.

solliciti. Ob. 1574. "Numerabitur olim inter cautos et "felices tyrannos." *Langueti Epistolæ ad Augustum Saxonem*, 1. *Maii* 1574.

Fossa. 79. —— Fosse, Gallus quidam, cui Sydneius pecuniam mutuo dederat.

Foxius. 83.

Frater tuus. 215. 219. 226. 227. 231. 233. 234. 235. 236. 237. 240. 241. 248. 253. 254. 255. 258. 262. 263. 272. 273. 275. 276. 286. —— Robertus Sydney eques, Henrici filius natu minor. Stipendia meruit in Belgio, variasque legationes administravit. A Jacobo Britanniarum Rege in procerum ordinem evectus, titulo *Baronis Sydney de Penshurst* addito 1603. Tandem *Comitis Leicestriensis* dignitas accessit 1618. Ob. 1626, ætat. 63. Vid. *Collins's Memoirs of the Sydney family, p.* 114. — 120.

Furbisserus. 176. 177. —— Martinus Frobisher, in agro Eboracensi natus. Ob res mari gestas insignis. In oppugnando castro de Crodon, quod Britanniæ Armoricæ est, sauciatus, paucis interjectis diebus, obiit 1594. Frobisherus in America Septentrionali magnam lapidum copiam collegit, "Quos," ait Camdenus, "*Minerales* esse "putabat; e quibus quum nihil auri nec argenti, nec cu-"jusvis alterius metalli elici potuisset, ad vias munien-"das projici vidimus." *Elisabetha, vol.* 2. *p.* 307.

De metallo quod Frobisherus in Angliam intulit, quædam habet Languetus, *Epist. ad Augustum Saxonem*, 26. *Aprilis* 1578. "Scripsi antea ad V. Celsitudinem "in insulis quibusdam septentrionalibus repertam esse ab "Anglis materiam quæ multum auri in se contineat; "sed postea experientiâ compertum est, materiam mi-"nus auri in se continere quam antea diceretur. Multi "tamen suspicantur, Anglos metuentes ne vicini Reges "illas opes ipsis invideant, ac eorum possessionem ipsis

" turbent, studio spargere glebas minus esse feraces auri,
" sed facile credo hæc de Anglis invidiosè fingi. Mitto
" ad V. Celsitudinem duas glebas ex illa materia mihi ab
" amico in Anglia missas."

Galliæ Rex. 16. —— Carolus IX. ob. 1574. " Magni no-
" minis Rex, modo diutius vixisset; quod sanè Montlucus,
" Thuanus, et omnes fere rerum Gallicarum scriptores
" uno ore referunt;" *Memoires de Sully, t.* 1. *p.* 84. *not.*
(74.) Felicem Gallorum errorem, qui de regibus suis
nunquam non optimè sentiunt!

Gandiæ Dux. 192. —— Carolus de Borgia Gandiæ Dux,
Patrem habuit Franciscum, quem Clemens X. " Pontifex
" Maximus in Divorum numerum retulit 1671." Jo-
hannes, Caroli frater, erat legatus in aula Cæsarea à
Rege Hispaniarum missus, librum, cui titulus *Empresas
Morales*, edidit 1581.

Gilpin. 213. 241. —— Georgius Gilpin. " Societatis An-
glicæ quæ Antuerpiæ est Secretarius." *Languet.* Postea
ad provincias Belgii fœderatas legatus infimi ordinis,
quem *Residentem* vocant. Simili etiam munere in Germa-
nia functus, Philippi Marnixii librum, cui titulus, *Ec-
clesiæ Romanæ Alvearium*, Anglicè reddidit. Ob. 1602.

Glauburgius. 105. 107. —— Johannes Glauburgius juris-
consultus.

Gonsius. 105. —— Jacobus Gonsius Burgundus.

Gnesnensis Archiepiscopus. 112. 124. 135. 144. 153. 159.
—— Jacobus Uschansius Archiepiscopus Gnesnensis.

Granvellanus. 73. 280. —— Antonius de Perrenot, Cardi-
nalis de Granvelle. Carolo V. Imperante, rebus præfuit.
Ob. 1586, ætat. 70.

Grevillus. 162. 215. —— Fulke Grevil, eques. In ordinem procerum à Jacobo Britanniarum Rege evectus, addito titulo *Domini de Brooke*. Eum jam grandævum famulus quidam, neglecta officia ægrè ferens, fraude aggressus interemit, et protinus in suum ipse gladium incubuit, an. 1628. Grevilus vivens sibi sepulchrum fieri curaverat, his inscriptis, "Fulke Grevil, Elisabethæ Re- "ginæ famulus, Jacobo Regi à consiliis, Philippi Syd- "neii amicus."

Griffinus. 30. 41. 107. 116. —— Griffin Madox, Philippi Sydneii famulus.

Groningensis consul. 264. —— Jacobus Hildebrandus. Rem ita narrat Winsemius, *Hist. Fris. l.* 6. *p.* 466. "Ad "nocturni clamoris auditum, et furentium insaniam, do- "mo se effudit, auxiliisque suorum quos in comitatu ha- "buerat nequicquam imploratis, velut manum confer- "turus, à Lalainii [Rennenburgii] famulo glande plum- "beâ ictus occubuit."

Guisius. 174. —— Henricus de Lorraine Dux de Guise. 1588, fraude Henrici III. interemptus, quem carnificinæ consortem habuerat, 1572.

Gulielmus Ducis Bavariæ filius, 204. —— Alberti V. Ducis Bavariæ filius natu maximus.

Hales. 214. —— Is est, ni fallor, Jacobus Hales, de Dungeon in provincia Cantio, eques.

Hanaviensis Comes senior. 16. —— Philippus Ludovicus, Munzenbergicus, quem, utpote gentis suæ principem, *seniorem Comitem* Languetus appellat.

Hanaviensis Comes. 6. 12. 20. 22. *et passim*. —— Philippi

Sydneii

Sydneii æqualis. Is eſt, ni fallor, Philippus V. ex familia Liechtenbergenſi.

Harlæus. 107. —— Achilles de Harlay. Senatui Pariſienſi præfuit. In adverſis et dubiis temporibus rectus et fidelis. Ob. 1616, ætat. 80.

Harlay. 154. —— Carolus de Harlay, Chriſtophori Domini de Beaumont filius natu minor. Plurimas legationes adminiſtravit. "Harlæus ſecundo miſſus eſt in Germa-" "niam à Rege Galliæ. Faxit Deus, ut ea res ipſi bene" "cedat, et *memor ſit religionis quam nobiſcum in Germa-*" "*nia eſt profeſſus*." Vid. *Langueti Epiſt. ad Camerarium*, 20. *Oct*. 1573. *p*. 210.

Harynnyay. 129. —— Johannes Harynnyay, nobilis Tranſylvanus.

Herbipolenſis Epiſcopus. 225. —— Julius Epiſcopus de Wurtzburgh.

Hooloch. 266. —— Philippus Comes de Hooloch ſive Hohenlo. "Mortuo Arauſienſi [1584], vicariam poteſta-" "tem accepit, qui plurimis armorum experimentis in-" "claruerat." Ita *Grotius*, *Annal*. *l*. 4. *p*. 86. At Reidanus Hohenloi mores planius deſcribit, *Annal*. *l*. 2. *p*. 33. "Ipſi vaſtus et intrepidus animus, in vul-" "tu decora majeſtas; ſed belli nec uſus nec diſcendi cu-" "pido; nihil prudentiæ, et ingenita ſecuritas omnium;" "vinolentiæ et libidinum indomitus et immodicus, adeo" "ut ſæpe quæ gerendis rebus tempora indixerat libi-" "dinibus intentus tranſmitteret. Exemplum ducis ſe-" "quebantur tribuni, centuriones, militumque præfecti" "cæteri; quorum ut quiſque flagitiis perjuriis maximè" "notabilis, tanto et virtute præſtabilior habebatur." "Pietas et morum integritas irriſui et pro ignavia e-" "rant."

Hungaria

Hungariæ Rex. 7. 9. 16. 20. 35. 89. —— Rodolphus, Maximiliani II. Imp. fil. mortuo patre 1576, imperium adeptus eſt. Ob. 1612.

Hunſdon, Baro. 38. —— " Henricus Cary Baro Hunſdo-
" nius, aulæ Regiæ camerarius, Bervici præfectus, et or-
" dinis Georgiani eques. Vir animo magno ſed bilioſo,
" qui è cognatione cum Regina, cui conſobrinus, hos
" honores et opes modicas conſecutus, nec magnas un-
" quam conſectatus." Ob. 1596. *Camden. Eliſabetha, p.* 736.

Jacobus Dominus. 41. 63. —— De Welſpergero loqui videtur. q. v.

Imperator. 9. *et paſſim, uſque ad p*. 162. —— Maximilianus II. Imp. Imperium adeptus eſt 1564. Ob. 1576. Refert Johannes Crato à Craftheim, Maximilianum, pluribus audientibus, dixiſſe, " Nunquam gravius peccatur,
" quam ubi opinionibus hominum, in iis quæ ad religio-
" nem attinent, dominari volumus." *Orat. Funeb. Maximiliani* II. *Imp*. " Meminerunt etiam multi," ait Crato, " quid Principi regnum fugienti et eâdem fugâ
" appetenti, [de Henrico III. Galliarum Rege loqui-
" tur], cum ad ſe divertiſſet, ſubridens dixerit, eos ni-
" mirum qui in conſcientias ſibi imperium ſumunt, cœli
" arcem invadere, et non raro poteſtatem quam in terris
" habent, amittere." Vid. Epiſtolam quam Maximilianus Lazaro Suendio ſcripſit ap. *Goldaſtum, Conſtit. Imperat. t*. 1. *p*. 208. *t*. 2. *p*. 383.; ubi plura ejuſdem argumenti habentur, verè Maximilianea, præclara et lectu digniſſima.

Imperator. 162. *et paſſim*. —— Rodolphus II. Maximiliani II. fil. Ob. 1612.

Jordanus. 151. 168. 169. —— Thomas Jordanus, medicus,

cus. Viennam incoluit. " Vir ingeniosus doctus et pru-" dens." *Langueti Epistolæ ad Joach. Camerarium*, *p.* 223. Aut patriâ Polonus, aut saltem cui hæreditas paterna in Polonia contigerat. *Ib. p.* 283.

Ismahel Persarum Rex. 157. 191. —— Ismael II. patri Thamæ successit, 1576, veneno periit, 1578.

Juliacensis Dux. 225. —— Vid. *Clivensis.*

Junius. 263. —— Junius [de Yonge] consul Antuerpiensis, " vir auctoritate et doctrinâ insignis;" *Vie de Ph. de Mornay du Plessis, p.* 59.

Kendi. 122. —— Franciscus Kendi Transilvanus, quem Ferdinandus I. Transilvaniæ præfecerat.

Kendi. 122. 129. —— Johannes Kendi, Nobilis Transilvanus.

Korsbachius. 169.

Koskovius, Koskovitius. 116. 118. 158. —— Magnæ Lithuaniæ *Mareschalcus.*

Lalenius Comes. 257. —— Philippus Comes de Lalain, Hannoviæ et Valencennæ præfectus.

Landgravius. 161. 169. —— Gulielmus IV. Hassiæ Landgravius, cognomine *sapiens.* Ob. 1592.

Laskius. 124. 125. 144. 147. 153. 159. —— Albertus à Lasco, Palatinus Siradiensis, Polonus. " 1583, venit in Anglia Albertus à Lasco, Palatinus Siradiensis, vir eruditus, corporis lineamentis, barbâ promississimâ, vestitu decoro et pervenusto, qui post quatuor menses ære alieno oppressus clam recessit;" *Camden, Elisabetha, p.* 400.

p. 400. Quod Poloni Latinè loquerentur et barbas pafcerent, miratus eft Camdenus rerum exterarum ignarus.

Lautius. 200. —— In exercitu J. Cafimiri Palatini tribunus militum. In Epift. Langueti ad Joach. Camerarium, p. 261, *Lanti* vocatur, typographi forfitan errore.

Leiceftriæ Comes. 108. 169. 171. 190. —— Robertus Dudley, Johannis Ducis de Northumberland filius natu fecundus. Apud Elifabetham Angliæ Reginam gratiâ plurimum valuit, obftupefcentibus pofteris. Inerant enim in eo vitia non levia, raræ eæque ambiguæ virtutes. Ob. 1588.

Leus. 265. —— Bartholomeus Leus. Is eft, ni fallor, quem Meteranus, *Belg. Hift. l.* 6. *p*. 172. *Lofium* appellat: Winfemus vero, *Hift. Frif. l.* 4. *p*. 271. *Lufium*.

Ley. 165. —— Nefcio quis, in aula J. Cafimiri Palatini degens. Virgo illa de cujus matrimonio hìc fermo fit, obfcurè licet, et per verborum ambages, videtur fuiffe Urfula Palatina, Cafimiri foror.

Lhuid. 29. —— Humphredus Lhyid, natione Cambro-Britannus, medicus. Ob. circ. 1570. Liber, de quo jocatus eft Languetus, hunc titulum habet, *Commentarioli, Britanniæ defcriptionis fragmentum*, Colon. Agrip. 1572.

Lobetius. 91. 102. 104. 107. 163. 173. 215. 216. 227. 229. 230. 236. 237. 240. 248. 253. 254. 255. 256. 258. 273. —— Johannes Lobetius, jurifconfultus. H. Sydney, Philippi pater, eum *Doctorem Lubetyum* appellat. *Collins's Sydney papers*, i. 247.

Lotharingiæ Dux. 15. 79. 193. —— Carolus II. Lotharingiæ Dux. Ob. 1608.

Lublinensis Palatinus. 144.

Ludovicus Nassaviensis. 16. 54. 61. 66. 68. —— Gulielmi Aransiensis frater. " Cum copiis quas fratri adducebat " ut Hollandiæ hostem detraheret, prope Noviomagum " cæditur, immodestiâ militis, qui, cum strictis mucroni- " bus hostis instaret, æra ducem flagitabat. Is finis fuit " duci ingenio manuque inter laudatissimos, fratri ipsius " Henrico, et Christophoro Palatini Electoris filio." *Grotius, Annal. l. 2. p.* 43.

Ludovicus Palatinus. 138. —— Frederici III. fil. natu maximus.

Mahometes Bassa. 16. 54. 61. 66. 68. 141.

Matthias Archidux. 89. 106. 174. 181. 189. 192. 201. 202. 217. 255. 286. 289. — Maximiliani II. fil. Viennâ evocatus, ut Belgis fœderatis præesset. Fratre Rodolpho mortuo, imperium adeptus est 1612. Ob. 1619.

Maximilianus. 143. 175. 202. 206. —— Vid. *Imperator.*

Maximilianus. 86. 106. 281. —— Maximiliani II. Imp. fil. natu minor.

Melancthon. 102. —— Philippus Melancthon. Ob. 1560. ætat. 63. Mite ingenium Melancthonis inter furores fanaticos, et hominum religiosorum diffidia. — Nihil ille nisi justum ac lene suadebat, ideoque cunctis qui partes fovebant, invisus.

Moldaviæ Vaivoda. 121. 122. 128. 129.

Mollerus. 131. 157. ——Joachimus Mollerus. Ni fallor, Hessus natione : Ph. Melancthonis discipulus.

Monachus. 122. —— Georgius Monachus, Episcopus Varadini.

Monavius. 63. 87. 143. —— Jacobus Monavius natus Vratislaviæ Silesiorum, vir eruditus admodum et probus. Ob. 1603. " Vir natus plane ad amicitias frequenti li-" terarum commercio, non conservandas modo, sed et-" iam augendas." *G. Vossius, De rebus gestis F. à Dohna.*

Mondragonius. 53. —— Christophorus Mondragon, Hispanus, tribunus militum. Ob. 1595.

Mongomerius. 81. —— Gabriel de Lorge, Comes de Mongomeri, quem Catharina Medicea odio inexpiabili prosecuta est, ob maritum casu fortuito occisum. Capite plexus. 1574.

Montmorancius. 46. —— Franciscus Dux de Montmorency, Annæ *Connestabilis* filius natu maximus. Ob. 1579.

Montmorinus. 88. 90. 92. 95.

Moraviæ Mareschalcus. 117.

Morganus. 38. —— Thomas Morgan, tribunus militum. " Qui Rogero Williams cognato morienti adfuit, e vi-" vis etiam exemptus. Ille item Cambro-Britannus, e-" ques auratus, et ætate provectior, ex insigni familia " Morganorum de *Pencarn*, in eodem agro natus ; qui " bellicis studiis ab ineunte ætate innutritus, magnam " laudem ex militari virtute et animi moderatione apud " omnes, sed majorem apud Reginam ex intemerata fide, " consecutus, postquam assignationem magnæ pecuniæ, " sub Hispani manu ei factam ut in suas partes pellice-" ret, Reginæ in manus tradiderat, modico quod ab illa

"accepcrat stipendio contentus." *Camden, Elisabetha,* 707. Ob. Morganus 1595.

Moronus, Cardinalis. 156. 158. —— Johannes Moronus, Mediolanensis, Mutinæ Episcopus, Cardinalis Sancti Vitalis. Ob. 1580. "Cardinalium omnium sagacissimus, "et in fallendo exercitatissimus." *Langueti Epistolæ ad Augustum Saxonem,* 17. *Maii* 1576.

Moschus. 10. 117. 118. 125. 135. 138. 143. 149. 153. 158. 193. 228. 248. 255. 289. —— Johannes Basilii fil. [Ivan Basilowitz], Dux Moscoviæ. Per omnem sævitiam jus regium exercuit ab anno 1540. ad annum 1584.

Mouy. 218. 266. —— Isaac Vaudié de Mouy. "Egregius "ille adolescens, paternæ virtutis imitator eximius;" *Hotomani Epistolæ, p.* 135. "Aulæ valedico, aiebat "Mouius, dives amicitiarum et famæ bonæ." [riche es honneur et es amis.]

Nassaviensis, Nassavius. 165. 172. 223. 258. —— Johannes Nassovius, Gulielmi Arausii frater. Ob. 1606.

Navarrenus. 274. 283. —— Henricus IV. Galliarum Rex.

Neufvillus. 266. —— Neufville, Gallus, legionis tribunus.

Niphus. 163. 287. —— Marcus Antonius, de eo hæc habet Languetus, *Epist. ad Augustum Saxonem,* 15. *Mart.* 1576. "Venit huc ex Italia Marcus Antonius Niphus, "nepos illius Augustini Niphi qui patrum nostrorum "ætate fuit valdè celebris in scholis Italicis. Hic Mar- "cus Antonius per aliquot annos docuit philosophiam "in Gallia et Italia, cum maximo auditorum concursu, "et tandem factus est Patavii artis medicæ professor; "quoniam autem magno applausu andiebatur à studio-

"fis

"fis adolefcentibus, quidam ex profefforibus, metuentes
"ne præ ipfo in contemptum venirent, eum, tanquam de
"religione Pontificia non bene fentientem, detulerunt ad
"Inquifitionem; à qua eft conjectus in carcerem; ex quo
"operâ quorundam adolefcentum Germanorum evafit,
"et huc fe contulit. Contraxi hic cum eo notitiam; et
"cum viderem eum effe moderato ingenio, et nihil effe
"in eo illius arrogantiæ quâ raro carent Itali, et ex a-
"liorum fermonibus fcirem ipfum effe infigniter doctum,
"percontatus fum ex eo, fi forte vocaretur in aliquam ex
"fcholis publicis veftræ Celfitudinis, an effet conditionem
"acceptaturus. A qua re cum viderem eum non ab-
"horrere, promifi ipfi me id V. C. indicaturum.—Eft
"adhuc juvenis et valde facundus, *intelligit quidem*
"*impofturas religionis Pontificiæ, fed in puriore religione*
"*nondum eft fatis inftructus*, quare cupit venire ad ea
"loca ubi poffit inftitui." Niphus ille in Angliam fe contulit, inde in Belgium tranfgreffus, Lugduni Batavorum paulifper hæfit, ac tandem, ni fallor, Parifiis geometriam docuit.

Nivernenfis. 16. 75. 77. —— Ludovicus de Gonzaga, Mantuæ Princeps, Dux Nivernenfis [Nevers]. Ob. 1595.

Norrifius. 218. 244. 283. —— Johannes. "Vir fane mag-
"nus, et inter maximos noftræ gentis hoc ævo duces
"celebrandus; qui fecundo-genitus Henrici Baronis
"Norrifii ex filia, et altera heredum Baronis Williams
"de Tama, prima militiæ tyrocinia in civili Gallorum
"bello fub Colinio Admirallo pofuit, ordines in Hiber-
"nia juvenis fub Waltero Comite Effexiæ duxit, Chi-
"liarcha Generalis Anglorum fub Ordinibus in Belgio,
"Marefcallus exercitûs ordinum fub Comite Hohenlo,
"Momoniæ Præfes duodecim annos, etfi plurimum ab-
"fuerit, Generalis auxiliarium in Britannia Armorica,
"et cæteris, quæ dixi, bellicis muniis perfunctus, virtute

"meruit ut per omnes gradus ad summum militaris "laudis fastigium ascenderet." *Camdeni, Elisabetha, vol.* 3. *p.* 755.

Novæus. 218. 219. 222. 242. 244. 246. 249. 257. 265. 266. 268. 269. 271. 273. —— Franciscus de la Noue ex Britannia Armorica ortus Ab ipso Famiano Strada non semel laudatus. "La Noue virtute, animi moderatio-"ne, ac peritiâ rei militaris, inter Huguenotos longe ex-"celluit." *Langueti Epistolæ ad Augustum Saxonem*, 1. *Sept*. 1577. Celebre illud de Novæo Henrici IV. dictum, "Il etoit brave gentilhomme, et bon François;" i. e. "vir erat generosus, et strenuus manu, et patriæ a-"mans." In obsidione oppidi de Lambale cæsus est. 1591.

Ochialus. 289. —— Rei navali apud Turcas præfuit.

Oningus. 253. —— Vox corrupta, ut videtur. De famulo quodam Sydneiorum agitur.

Opicius. 202. —— Inter Protestantes Viennæ Austriacæ Theologus.

Orangius. 11. 43. 160. 161. 198. —— Vid. *Arausiensis*.

Ortenburgius. 168. —— Joachimus Comes de Ortenburgh.

Oxoniensis Comes. 238. 241.-243. —— Edvardus Vere, Comes de Oxford. De lite inter eum et Sydneium exorta vid. *Collins's Memoirs of the Sydney family*, *p*. 101. Filiam Cecilii uxorem duxit.

Palatinus Elector. 16. 229. —— Fredericus III. Ob. 1576.

Palatinus Elector. 161. 165. 172. 231. —— Ludovicus IV. Frederici III. fil. J. Casimiri frater.

Parens tuus. 214. 228. 241. 243. 255. 279. 288. —— Henricus Sydney, eques, Hiberniæ Prorex. Uxorem duxit Mariam Dudley, Johannis Ducis de Northumberland filiam natu maximam, Comitis Leicestriensis sororem. Ob. 1586.

Parmensis Princeps. 174. 218. 220. 272. —— Alexander Farnesius, Parmæ Dux. Maximam reliquit sui famam, felicitate et virtute militari partam. Ob. 1592.

Parmensis Principis mater. 272. —— Margarita Caroli V. Imp. filia. Octavii Parmensis uxor, Alexandri mater. Inferiori Germaniæ præfuit.

Patochi. 129. —— Georgius Patòchi, Nobilis Transilvanus.

Paullus. 27. 45. 157. 158. 162. 168. 182. 194. 245. 249. 252. 276. —— Andreas Paullus, "multis legationibus "Germanicis, Polonicis, Italicis, pietate, ingenio, arte, "judicio, clarissimus. Electori Saxoniæ carissimus." *G. Vossius, De rebus gestis F. à Dohna.* Ob. 1590.

Perrotus. 21. 40. 99. 102. —— Franciscus de Mezieres, Parisiensis ortu. Venetiis in intimam amicitiam Pauli Sarpi pervenit; Genevam postea incoluit. Libello Italicè scripto, patrocinium Henrici IV. Galliarum Regis in se suscepit, cum à Pontifice Romano diris devoveretur. Opera Philippi Mornæi *de veritate religionis Christianæ*, et *de Ecclesia*, Italicè reddidit.

Petrasc. 47. —— Ventila Petrasc. Moldaviæ *Vaivoda*, seu Provinciæ præfectus.

Petrus.

Petrus. 193. —— Moldaviæ Vaivoda.

Pibracus. 90. 91. 92. 95. 101. 113. 117. —— Guido du Faur, Dominus de Pibrac. Natus Tolosæ, illustri loco; jurisprudentiæ operam dedit: munia forensia gessit plurima simul et amplissima. Ob rerum usum et facundiam celebris apud suos. Ob. 1584. Libellus à Pibraco conscriptus, quem Sydneius merito damnat, hunc titulum habet, "Epistola ornatissimi viri de rebus Gallicis ad "Stanislaum Helvidium, Kalendis Octobris, anno "1572."

Plantinus. 238. 241. —— Christophorus Plantinus. Natione Gallus. Antuerpiæ in libris excudendis operam navavit, summâ industriæ et humanitatis famâ. Ob. 1589.

Plessius, Plesseius, Plessæus. 167. 172. 234. 237. 245. 246. 285. —— Philippus Mornæus Plessius. "Vir insigni fa- "cundiâ, et in explicandis negotiis solertiâ præditus." *Thuanus, ad an*. 1589. Ob. 1623. ætat. 74.

Plocensis Episcopus. 145. —— Petrus Miscovius Plocensis Episcopus.

Podoliæ Palatinus. 143. 144. 159.

Pogebratius. 16. —— Georgius Podiebrad, Comes Glacensis, nobilis Bohemus. Popularium suffragiis in regnum evectus 1458. Pontifici Romano infestus et invisus. Ob. 1461. Vid. *Æneæ Sylvii Epist. l.* 1. *ep*. 130.

Poloniæ Rex. 227. 228. 247. 284. 289. —— Vid. *Stephanus Bathori*.

Portugalliæ Rex. 53. —— Sebastianus, periit in Africano bello quod temere susceperat. 1578. "Pontifex Roma-

" nus mittit Pompeium Lanoium ad Portugallíæ Re-
" gem, per quem conatur ei perſuadere, ut ineat fœdus
" cum Hiſpanis adverſus Turcas, aut ſaltem eis auxi-
" lium ferat. Mittit autem ipſi, tanquam munus ali-
" quod eximium, unam ex ſagittis quibus confectus di-
" citur Divus Sebaſtianus. Haud dubie Rex munus id
" magni faciet, cum nominetur ipſe Sebaſtianus, et in-
" eptis illis ſuperſtitionibus ſit ad inſaniam uſque de-
" ditus. Auditâ morte matris, cònſcendit in navem, in-
" ſciis ſuis conſiliariis, qui diu ignorârunt quonam avo-
" laſſet. Detruſerat ſe in monaſterium, ut ſolis mona-
" chis conſciis, quorum cucullum ſumpſerat, ad ſatieta-
" tem uſque lugeret." *Langueti Epiſt. ad Auguſtum Saxonem*, 5. *Dec.* 1573.

Praga. 63. —— Baro à Praga.

Princeps meus. 16. 136. —— Auguſtus Saxoniæ *Elector*. Ob. 1586.

Prutenorum Dux. 159.

Purkircherus. 1. 2. 182. —— Poſonienſis [Preſburgh] periit peſte. 1577.

Putlizii. 216. —— Barones ambo: prope Leviam in Brabantia ab Hiſpanis cæſi. 1579.

Radzivileus. 116. —— Nobilis Polonus.

Raphaelis. 194. 195. —— Johannes Raphaelis, Avenionenſis.

de Remalme. 194. —— Aſcanius de Remalme, bibliopola Londinenſis.

Renneburghius.

Renneburghius. 257. 260. 263. 264. 265. —— Georgius Comes de Renneburgh à familia Lalaina. De quo Grotius, *Annal. l.* 3. *p.* 69. " Omissâ dissimulatione Gro- " ningam, cujus potiebatur, regio adjecit imperio. — " Sed cum in Stenovicum, urbem Transisalanorum, " vim omnem belli quinque totis mensibus converteret, " à Nassavianis ducibus depulsus victusque, inter mise- " rabiles cogitationes quanta cum famæ jactura inte- " gras opes ad incerta redegisset, morbo finiit." 1581.

Retz. 16. —— Albertus de Gondi, Dux de Retz. Ob. 1602.

Richardus. 95. 98. 102.

Rogersius. 168. 169. 173. 182. 183. 184. 186. 189. 197. 213. 221. 235. 237. 284. 287. —— Daniel Rogers, fil. Johannis illius Rogers, qui religionis ergo ultimum supplicium passus est, Mariâ regnante. *Concilii Secreti* amanuensis. Legatus missus ad Daniæ Regem. 1588. Ob. 1591.

Rokandorff. 64. 201. —— Rectius *Rogendorff*. Austriæ *Mareschalcus*, quod vocant.

Rolandus. 233. 234. 256. —— Rowland White, Sydneiorum famulus : vir fidei probatæ, et patronis carus.

Romerus. 40. —— Julianus Romerus apud Hispanos tribunus militum primarius; in Belgio stipendia meruit. Equo delapsus interiit. 1578.

Roussellus. 129.

Rozenbergius. 117. 144. —— Gulielmus Ursinus Rosembergius Bohemiæ *Burgravius*.

Ruberus. 123. 130. 148.

Sabaudus, Dux Sabaudiæ. 192. 260. 284. —— Emanuel Philibert, Sabaudiæ Dux. Ob. 1580.

Sandomiriensis. 143. —— Koska Palatinus Sendomiriensis.

St Aldegondus. 252. —— Philippus Marnix, eques. Natus Bruxellis, origine Burgundus : quem omnes fatentur primarium fuisse virum. " Aldegondius et ingenio " et eruditione plurimum, et apud Arausionensem au" ctoritate valebat." *Grotius, Annal. l.* 2. *p.* 44. Ob. 1598.

Salmensis, 181. —— Nicolaus Salmensis, Nicolai Salmensis Comitis filius natu minimus, castri Canisiani præfectus. Ob. 1580.

Saltzburgensis Archiepiscopus. 138.

Salvardus. 248.

Saxoniæ Elector. 249. *et passim.* Vid. *Princeps meus.*

Saxoniæ Electoris filius. 221. —— Augusti, Septemviri fil. Ob. 1579, ætat. 19.

Sborowsky, Sborovius. 124. —— Petrus Sborowski Palatinus Cracoviensis.

Schenck. 287. —— Martinus Schenck de Grobbendonck, patriâ Gelrus. Vahali amne absorptus periit. 1589. Rem omnem Strada enarrat, *l.* 10. *p.* 474.; ubi de Schenkii rebus gestis et moribus quædam tradit lectu non injucunda. Videantur etiam *Haræus, t.* 3. *p.* 425. ; *Reidanus, Annal. l.* 8. *p.* 181.; et *Grotius, Annal. l.* 1. *p.* 134.

Schlick. 216. — Procopius Comes à Schlick de Havenstein, adolescens 19. annorum ab Hispanis prope Leviam in Brabantia cæsus. 1579.

Schwartzenbergius. 225. —— " Otto Henricus Comes de " Schwarzenberg, Cæsareus Consiliarius intimus, con- " silii Aulico-Imperialis Præses, aulæ supremus Mares- " callus, Supr. aulæ et provinciæ Bavaricæ præfectus, le- " gatusque Cæsareus ad pacificationem Belgii." *Imhoff, Notitia Procerum, l.* 5. *c.* 10. *p.* 361.

Schwartzburgius. 192. —— Guntherus Comes Schwartzburgius.

Scotiæ Regina. 44. 71. —— Infelicissima illa Maria!

Scotiæ Rex. 17. 24. 81. —— Jacobus, primus Britanniarum Rex.

Serranus. 238. — Johannes Serranus: Gallus. Platonem Latinè reddidit, confecit etiam Commentariorum de Statu Religionis et Reipublicæ in regno Galliæ libros xv. De ortu æque ac de fatis hujus viri incerta omnia.

Sigismundus. 30. 145. 152. 158. —— *Augustus* dictus, Poloniæ Rex. Ob. 1572.

Simeon. 233. 240. —— Sydneiorum famulus.

Simanus Bassa. 75.

Simierus. 285. —— Jacobus de Simier, Alençonio carus. " Aulicus lectissimus; amatoriis levitatibus, facetiis, et " aulicis illecebris exquisitè eruditus." *Camden, Elisabetha, p.* 322. — " Regina Simierum Andini admini- " strum, quem calumniis nonnulli onerârant, ob *pru-* " *dentiam et modestiam* collaudavit." *Ib. p.* 378. Si-

mieri

mieri *prudentia* et, quod mireris, *modestia*, præconem habuerunt Elisabetham, sapientissimam illam virginem!

Slavata. 31. 168. 170. 173. 182. — Michael Baro à Slavata, patriâ Bohemus.

Solimanus. 157. — II. Turcarum Imperator. Ob. 1566.

Solmensis. 157. — Comes. Quisnam fuerit, ambigitur. Plurimi enim eâ tempestate *Solmenses Comites* extiterunt, omnes bellicâ laude conspicui, et à virtute Nassaviæ domûs, unde originem ducebant, haud degeneres.

Somerus. 234. 241. 254. — Jacobus de Somere, Gandavensis. " Struxit carmen *de podagra*; et libellum " quoque Thomæ Kempensis *de imitatione Christi* he- " roicis versibus expressit. Ob. 1623." *Konig* Bibliotheca. Atqui tragicum illud carmen, cui titulus *Colicæ et Podagræ tyrannis* auctorem habet Johannem Sommerum *Hungarum*. Vid. *Delitiæ Poetarum Hungarorum*, *p*. 455.

Stephanus. 214. 223.

Stratagema Regis Galliæ. 65. 75. 81. — i. e. " Strata- " gema di Carlo IX. contra gli Ugonotti rebelli di " Dio, da Camillo Capilupi, 4to, in Roma, 1572."

Strigosa. 53. — e societate Jesu. Quæ de Strigosa habet Languetus incerta sunt, ne dicam fide indigna. Damnentur Jesuitæ, testibus tamen legitimis, non odio aut invidiâ.

Strozzi. 289. — Philippus Strozzi, Petri fil. ab ipsa pueritia inter arma versatus. Res multas memoriâ dignas gessit. Tandem prælio navali prope insulam S. Michae-

lis ſuperatus, et ab Hiſpanis captus, 28. Jul. 1583. necatur, violato belli jure.

Sturmius. 215. 229. 230. 231. 232. 233. 236. 253. —— Johannes Sturmius. Natus Sleidæ, non procul à Colonia Agrippinæ. Academiæ Argentorati diu præfuit. Ob. 1589, ætat. 82. Vid. *Morhoff; Polyhiſt. edit. pr. p.* 329. *&c.*

Sueciæ Rex, Suecus. 24. 37. 117. 118. 143. 231. 248.—— Johannes III. Guſtavi Waſæ filius natu minor. Imperio potitus 1568, uxorem duxit Catharinam, Sigiſmundi Polonorum Regis ex Bona Sfortia filiam. Mulier ea religioſa filium Sigiſmundum in ſacra pontificia erudiendum curavit, eventu parum proſpero. Quæ hìc habet Languetus amplius explicantur in epiſtola quam ſcripſit ad Auguſtum Ducem Saxoniæ, 8. Jan. 1574. p. 225. " Scribunt plurimi Româ et Venetiis, Regem Sueciæ " velle ſe ſubjicere eccleſiæ Romanæ, et petere à Ponti- " fice ſibi concedi communionem ſub utraque ſpecie, et " conjugium ſacerdotum. Fama ejus rei jam eſt ſparſa " per totam Italiam et Galliam, quam tamen ferè non " dubito eſſe falſam, et inde ortam, quod miſerit lega- " tum Romam ad Cardinalem Oſium : uxor vero ad " Pontificem, quæ cum Pontificia ſit, petit ſibi indulgeri " communionem ſub utraque ſpecie. Ideo autem hæc " fabula eſt inſtituta, ut Pontifex intercedat apud Re- " gem Hiſpaniæ pro Regina Sueciæ, ut ei reſtituat du- " catum Barenſem, et comitatum Roſſanenſem, qui per- " tinuerunt ad Bonam Sfortiam, Reginam Poloniæ, quæ " fuit ejus mater. Ego miror Suecos eſſe ita ſimplices, " ut ſperent Hiſpanos velle ipſis reſtituere illos princi- " patus, quos ſane non reſtituerent, etiamſi Rex fieret " Jeſuita, et uxor ejus monialis."

Suendius. 4. 85. 157. 180. 230. 232. 234. —— Lazarus Schuendius, eques, natione Suevus, in bellis Hungaricis

contra Turcas gestis exercituum ductor, "Consilio, vigilantiâ, fortitudine, disciplinâque militari inclytus," *G. Vossius, De rebus gestis Fabiani à Dohna.* Schuendium motuum Belgicorum auctorem fuisse Haræus tradit; *Annal, t.* 3. *p.* 11. Cum Egmondanum et Arausiensem hortatus esset, ut, omissis simultatibus, amicitiam mutuo colerent, his addit Nicolaus Burgundus, *Hist Belg. l.* 1. *p.* 33. "Nam et ipse Suendius armis inclytus, et magnatum amicitiâ subnixus, remoto Granvellano, altiorem fortunam præsumebat animo, hunc unum sibi credens ad fastigium officere." Plura de Schuendio, vid. ap. Ph. Camerarium, *Meditationes Historicæ, cent.* 2. *p.* 19. 83. 92.

Suschius. 219. —— Anglus, ut videtur cui nomen *Zouche,* vir militaris.

Tautenburgh. 192. —— Christophorus Baro à Tautenberg.

Taxis. 133. —— J. Baptist. Stationariorum equorum procurationem habuit in Belgio [Postmaster] "Nos certè, posterique omnes, Tassiorum genti non parum hoc nomine debemus, quod aucto per eos firmatoque transmittendarum commercio literarum, dispositis ex eorum designatione, certa per intervalla, tabellariorum cursorumque stationibus, publicum factum est obviumque commodum, quod antea rarum, ac tantummodo potentiorum non sine magnis impensis proprium fuerat. Ut merito ipsi à Cæsaribus, atque ab regibus Hispanis jure potestateque in perpetuarios hosce nuncios acceptâ, amplissimam præfecturam, quæ tantam societatis humanæ partem amplectitur, soli per Austriacas provincias administrent." *Strada, l.* 10. *p.* 443.

Tauricæ Rex. 143. —— Rex Tartarorum Præcopiensium.

Terra Nova. 225. —— Carolus Arragonius Dux de Terra Nova; olim in Sicilia Prorex. Ad conventum Coloniensem à Philippo II. Hispano legatus. 1579.

Teschen. 16. —— Wenceslaus Adamus Dux à Teschen. Ob. 1579.

Thaddæus, 106. 107. 154.

Thammas. 157. —— Persarum Rex. Ob. 1576.

Thonau. 87. —— Fabianus Burgravius à Dohna, Fabiani fil. natu minimus. De cujus rebus gestis extat Commentarius, Gerardo Vossio auctore. "Ab Huberto Langueto "nunquam se Dhonanus abiisse professus est, quin "vel doctior vel melior rediret." Hæc *Vossius*. Ob. 1621. ætat. 72.

Thonau. 87. —— Christophorus de Dohna, Fabiani frater, Witenbergensis Academiæ rector; Rolhusii Hessi, qui equitum Germanorum turmas in Galliam duxit 1570, Condæo et Colignio auxilium laturas, vexillifer; sedem rerum ac fortunarum suarum in Dania posuit; Regi Danorum à consiliis, et, mortuo Ranzavo, copiarum præfectus. Eum Fabiani patruum fuisse Languetus falsò suspicatus est.

Tilius. 206. —— Johannes Tillet, Episcopus Meldensis [de Meaux]. Ob. 1570. Scripsit, "Chronicon de regibus "Francorum à Pharamundo ad Henricum II."

Transhemius. 106. 109. 110. —— Aulæ Cæsareæ præfectus.

Transilvanus. 117. 118. 143. 145. 146. 148. 149. —— Vid. *Stephanus Battorius*.

Trevirensis.

Trevirensis. 225. —— Jacobus Elsius, Archiepiscopus Trevirensis, conventui Coloniensi interfuit. 1579.

Ugnadius. 75. 126. 127. —— David Ungnadius à Maximiliano II. Imp. ad Turcarum Imperatorem legatus missus. 1573.

Ursinus. 103. 107. 229. —— "Zacharias Ursinus, Wra-"tislaviâ Silesius: Theologus. Diu Heidelbergæ Pro-"fessor in Palatinatu, et Archiep. Coloniensi, sub Ge-"rardo Truchsesio El. Reformat. Ob. Neapoli Nemetum "1583." *Hoffman.* "Musæo suo inscripsit, *Amice,* "*quisquis huc venis, aut agito paucis, aut abi, aut me la-*"*borantem adjuva.*" *Hoffman.* Grave etenim ei videbantur salutantium molestiæ. Vid. *Bayle,* art. *Ursin.*

de Vacas. 220.

de la Val. 287.

Venetus. 152. —— "Qui de Persis scripsit." Huic nomen *Ambrosius Contarenus.* 1472, legatus missus est à republica Venetorum ad Ozun Asem Beg, Persarum Regem. In patriam reversus, de peregrinatione sua Commentarios edidit linguâ Italicâ.

Villerius. 146. 234. 249. 252. 271. 285. —— Petrus Loseler de Villiers. "Qui subactum rebus forensibus inge-"nium ad religionem docendam, et hinc ad intima A-"rausiensis consilia transtulerat." *Grotius, Annal, l.* 3. *p.* 71. De eo Camdenus asperius loquitur. "Pauper-"culus obtritâ lacernâ in Angliam venerat, sciens dico, et "collatitiâ stipe, et prælectione theologicâ ditatus." *Elisabetha, p.* 297. Ob. 1593. De Villerii fatis vid. *Brandt. Hist. Reform. l.* 15.

Vulcobius.

Vulcobius. 17. 19. 20. 21. 36. 42. 44. 52. 54. 65. 80. 81. 91. 95. 114. 154. —— Malè *Volcobius*. Johannes Vulcobius, [Gallicè Vulcob], ait Languetus, *Epist. ad Augustum Saxonem*, 30. *Aug*. 1576. " *Vulcobius*, qui in aula Cæ-" sarea *agit*, Regis [Galliarum] nomine."

Wackerus. 60. 64. 79. 91. 107. 141. 154. 173 182. 215. 227. 234. 237. 254. —— Janus Wackerus Constantiensis, jurisconsultus. Post varias peregrinationes, tandem Wratislaviam Silesiorum incoluit.

Walsinghamus. 39. 103. 107. —— Franciscus Walsingham, eques. Magni nominis apud suos; Elisabethæ Anglorum Reginæ ab epistolis. Varias legationes administravit summâ fide et diligentiâ. Qui, etsi quæstuosis procurationibus functus esset, rem paternam tamen imminuit potius quàm auxit. Pecuniam enim propriam in usus quotidianos reipublicæ erogavit, raro moderationis exemplo. Ob. 1590. Unicâ relictâ filiâ, quæ Philippo Sydneio nupserat 1583.

Warvicensis Comes. 108. —— Ambrosius Dudley Comes de Warwick, Comitis illius Leicestriensis frater. Ob. 1589. Ei *Boni Comitis* cognomen ob merita inditum.

Wechelus. 173. 258. 275. 284. —— Andreas Wechelus, typographus Francofurti. Ob. 1581.

Welspergerus. 20. 23. 24. 63. 67. —— Jacobus Welspergerus Comitis Hanaviensis adolescentiam rexit. Eum Languetus sæpius laudat.

Wit. 222. 224. 227. 233. 236. 239. 240. 241. 242. 253. 262. —— Henricus White, Roberti Sydneii famulus.

Witgenstein. 104. 107. 108. —— Ludovicus à Sayn Comes à Witgenstein, aulæ Palatinæ præfectus. Ob. 1605.

Wottonus.

Wottonus. 103. 105. 107. 114. 127. 140. 142. 154. 195. — Edwardus Wotton, eques. Varias legationes obivit, regnante Elisabethâ, Anglorum Reginâ. — A Jacobo, Britanniarum Rege, inter proceres relatus, addito titulo "Domini Wotton de Merley."

Wratislaviensis Episcopus. 117.

Zerotinus. 234. — Carolus Zerotinus, Johannis filius, Moraviensis. De eo adhuc juvene, optimè ominatus est Languetus; neque falsum augurium. Zerotinus magnam sibi peperit constantiæ famam. Inter motus Bohemos fidem Ferdinando II. Imp. datam egregiè servavit. Cum ab Imperatore peteret, ut Protestantibus Moraviensibus sacrorum faciendorum licentia concederetur, "Atqui," dixit Imperator, "non possum ferre *prædicatores*." "Neque ego iis destitui," respondit Zerotinus. Libera sane vox, et viro Germano digna. Ob. 1636.

Zindelinus. 46. —— Wolfgangus Zindelinus. "Totis tribus lustris in Italia versatus, qui rerum gravissimarum momenta eâ Venere, iis expromebat Gratiis, ut dubium relinqueret, plusne ornamenti accederet rebus à dictione ejus lectissima, an orationi ponderis foret à rerum gravitate." *G. Vossius, De rebus gestis F. à Dohna*. Christophori Palatini Ephorus. Vid. Lud. Camerarium. *Epist. Dedic. ad Langueti Epistolas*, ubi plura de Zindelino habentur.

ERRATA.

p. 195. *l*. 14. *pro* Nocolaus *l*. Nicolaus.
p. 130. Epistola XLVI. Epistolæ XLV. *anteponi debuerat*.

FINIS.

This book should be returned to the Library on or before the last date stamped below.

A fine is incurred by retaining it beyond the specified time.

Please return promptly.